2/2/0

very rare – the finest copy I ever saw

An Entirely different translation from Ternaux No 421.



John Carter Brown.

NOVI FRETI,

A PARTE MERIDIONALI FRETI Magellanici, in Magnum Mare Auſtrale

DETECTIO;

Facta laborioſiſſimo & periculoſiſſimo itinere à *Guilielmo Cornelij Schoutenio Hornano*, Annis 1615, 1616, & 1617, totum Orbem terrarum circum-navigante.



AMSTERODAMI,
Apud Guilielmum Ianſonium. 1619.

RPJCB

JOHN CARTER BROWN

PRAEFATIO

Ad benevolum Lectorem.

CVM deliberato quodam Mandato Dominorum Ordinum Generalium, Provinciarum Vnitarum, omnibus Mercatoribus,& Indigenis Provinciarum eſſet interdictum (Præfectis vero Societatis Indiæ Orientalis conceſſum) partem Orientalem Capitis bonæ ſpei navigare Orientem verſus, vel per Fretum Magellanicum, Occidentem verſus, in Indiam,aut alias cognitas, vel incognitas terras. De hoc agitatũ,& conſultum eſt,inter *Iſaacum le Maire*, celebrem Mercatorem Amſterodamenſem,Egmõdæ degentem,negotiatiooibus exteris,& longinquis maximè,deditum,& *Guilielmum Schoutenium*,Hornanum(navigationibus marinis valde exercitũ,& famoſum,quod jam ter in Indiã Oriẽtalem,omneſq; circumjacentes regiones, ut Navarchus, Rector,& Mercator navigarat) etiamnum adhuc flagrantem deſiderio detegendi novas Regiones; nũ alia quadã via, in Magnum *Mare Auſtrale* navigari, ſalvo D D; Ordinum decreto,ibiq; Regiones amplæ divitiiſq. affluentes detegi,naveſq; mercibus variis,& precioſis onerari poſsint· De iis *Iſacus le Maire*, quid certi

videbatur aſtruere; ſi vero ex ſententia iter ſuſceptum non ſuccederet, per *Mare Auſtrale* magnum, in *Indiã Orientalem* curreretur, maximo omnium participantium commodo. Tandem inter eos convenit, ut inquirerent Auſtralem partem mundi incognitam, à Freti Magellanici regione Meridionali ſitam, de qua utrique nonnihil conſtabat, ex variis circumſtantiis, deprehenſis, ab aliis qui prope Fretum Magellanicum, diverſis temporibus, idem tentarant. Quare inter eos concluſum; ut opus hoc magnum aggrederentur, *Iſaacus le Maire* dimidiam, & *Guilielmus Schoutenius* alteram partem ſumptuum neceſſariorum ſuppeditaret, communi quodam Amicorum, & fautorum auxilio. Tota tandem Provincia rerum gerendarum, & conſtituendarum, à *Guilielmo Schoutenio* ſuſcepta, cui cum hæc curæ eſſent, ſibi aſcivit hos Municipes. Virum Conſularem *Petrum Clements Brouvver*, *Iohannem Iohannidis Molenvverf* Scabinum, *Ioannem Clementis Kies*, qui à Secretis Vrbi: & *Cornelium Segerts*: qui etiam in numerum Præſidum, cum *Guilielmo Schoutenio*, *Iſaaco le Maire*, & *Iacobo le Maire*, filio Iſaaci, ſunt aſciti: exiguoq; temporis ſpatio tantam ſummam pecuniæ collegerunt, quantam judicabant opus eſſe, huic apparatui; ita tamen ut ne cuiquam quiddam ex participantibus de ſuſcepto hoc itinere aperirent, tantum ſolis Præfectis hoc conſtabat. Vt autem ordinè & commodè

hæc

hæc fierent, *Hornæ* præpararunt, & ſtruxerunt Navim magnam, cum Liburnica, illa dicta fuit, *Concordia*, onerum nauticorum centum & octoginta, cui Navarchus erat noſter *Guilielmus Cornelii Schoutenius*, & Archiceleuſtes *Iacobus le Maire*, armata erat Viris ſexaginta quinque, novemdecim Tormentis majoribus, duodecim minoribus, ſclopis majoribus quãplurimis, & aliis inſtrumentis bellicis; imo ad uſum Navis adjuncta erat *Scapha* velifera, cum *Cymba*, *Lembo*, & *Lintre*; nec minus proſpectum de Anchoris, Rudentibus, Velis, aliiſque rebus nauticis; Hæc, dicta *Horna*, onerum navalium quinquaginta quinque, cui Navarchus conſtitutus *Ianus Cornelij Schoutenius*, Celeuſtes vero, *Andreas Nicolai*, armata viris viginti duobus, octo Tormentis majoribus, quatuor minoribus, reliquiſque Martigenarum ſupellectilibus; nec minus huic proſpectum de omnibus ad tantum iter neceſſarijs. Cumque nemini quicquam de propoſito ſignificatum eſſet, omnes etiam ſocios navales, & Adminiſtratores ea lege conſcripſerunt, ut non deeſſent officio ſuo, cum Navarchus, & Præfectus præirent ipſis, atque ita una ſalus, unumque periculum omnibus ſimul eſſet: quare apud plebem, varia de itinere, & Navibus hiſce fuit ſententia, tandem ficto quodam nomine *de Goudthaelders* (*Latinè ſonat Aurilatrices*) dictæ ſunt, ſed Præfecti, collegium ſuum appellabant *Auſtralis Socie-*

ſtralis Societatis conventum. Navibus inſtructis, decimo ſexto Maij, anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo quinto, delectus omnium ſociorum navalium habitus eſt à Domino *Prætore*, omnibuſque *Scabinis*: at vigeſimo quinto die Navis *Concordia*, *Hornam* reliquit, & vigeſimo ſeptimo *Texeliam* appulit; *Liburnica* tertio Iunii ſubſequitnr, poſtridie in Oſtio maris anchoram fixit: quicquid præterea toto itinere ipſis evenerit, ſequenti hoc opuſculo candidè narratur, ex eorum ſcriptis, & vera oratione, qui hæc viderunt, & oculati teſtes fuerunt, imo toto hoc itinere muneribus publicis ſtudioſé functi ſunt, muniti Autoritate publica. *Valete*.


CARMEN
GRATVLATORIVM
GVILIELMO SCHOVTENIO
Hornano, in Patriam Reduci.

FOrtuna *ſortis æſtuoſæ pervicax*
Dextra gubernal inſolenter dirigens
Mutabili, nondum dedit rebus modum
Fatalibus conſtantem, adhuc volubilis
Ex arbitratu mutat & nutat vices.
Famæ cacumen Ferdinandus *ſplendidæ*
Scandit Magellanes, *freti cum detegit*
Novi meatum, non ſecundo flamine.
Dracus *pari ſpumante jactatus ſalo,*
Illuſtre nomen patriæ fert Angliæ.
Et Candis *hac quærit via æternum decus.*
Famam perennem ſic Oliverus *tulit*
Tiphys ſagax; Speilbergus *haud inglorius,*
Hinc gloriam fert claſſe formidabili.
Majora tantis præſtitit Schoutenius,
Flagrans honore perpetim Neptunio,
Acres ſoli, cœli, ſali, temnens minas,
Aeſtu ſecundo, proſperoque flamine,
Incognitum primus fretum ſulcat rate,

Ignota

Ignota primus cæca tentavit vada.
Iuvit videre hunc rara ad Auſtrum littora,
Iuvit Magellanis *ſalutare oſtia*
Longè freti non panda, libero mari
Aperire curſus ad Moluccas *Inſulas:*
Ridere opellas Ferdinandi *naufragas,*
Draci *labores, atque* Oliveri *decus:*
Luſtrare raras orbis oras, flammeus
Quaſcunque curſu Sol *obit volubili,*
Crudelitate Barbaras: reviſere hinc
Hollandiam, *civeſque dilectiſſimos.*
Salve propago gentis antiquæ redux,
Donata palma eſt, perpetique gloria
Non exſoleſcet fama nominis tui.
Dis inſero te ſi ferat mortalitas.
Eſt Horna *felix quæ virum talem tulit,*
Patria inclyta felicior Schoutenius.

Nicolaus à Waſſenaer *Amſtero-*
damenſis: Medicus.



Victoria
Eendracht
Willem C. Schouten
Tropicus Cancri
N. Hispania
Linea Æquinoctialis
Honden Eylant
Hoornse Eylanden
Tropicus Capricorni
Iuan Fernando
Chili
Peru
AMERICA
Brasilia
Fret. Magellanicum
Fretum le Maire
EVROPA
ASIA
AFRICA
China
Iapā
Philippine
Sierra Liona
Guinea
India
Sumatra
Iava
Banda
Gilolo
N. Guinea
Mauritius
Madagascar
S. Helena

B

DIARIVM
VEL
DESCRIPTIO
LABORIOSISSIMI,
& periculoſiſſimi itineris,
à
GVILIELMO CORNELII
Schouten Hornano Batavo, facti: annis 1615, 1616, & 1617.

Vt à parte Auſtrali freti Magellanici, novum ductum, aut fretum, in Magnum Mare Auſtrale detexerit, totumque Orbem terrarum circumnavigarit.

DIe 14 Iunij circiter veſperam Texeliâ ſolvimus, eo oſtio quod linguâ noſtrâ *t'landtdiep* dicitur. Anno 1615.

Die 16 ſummo manè Duynkercka nobis apparauit, ferebamur eo die refugo mari, cœloque ſereno, in Strictum vulgo de *Hoofden* dictum.

Die 17 Sole jam exorto, anchora fuit jacta, ob ventum adverſum in loco vulgo *Duyns* dicto: ubi ſe terræ commiſit Navarchus noſter *Guilielmus Schouten* Doverium verſus, ut ſclopetarium conduceret, qui poſtridie manè, cum ſocijs navalibus aquam ferentibus navem conſcendit.

1615. Iunius. Die 19 Ipſo meridie vela inde fecimus, circiter noctem obviabat nobis Claſſis navium ſale onuſtarum in Patriam noſtram navigantium, apud *Singels*.

Die 21 Exorta eſt tempeſtas ab Africo, quæ perduravit in ſequentem diem; ideoq; deflectebamus Navibus noſtris in Inſulam *Wicht* dictam, deerat nobis adhuc faber unus lignarius, quem cum Navarchus noſter ibi conduceret in iter noſtrum, nõ potuit iſtic nanciſci.

Die 25 Inſulam *Wicht* reliquimus, & vigeſimo ſeptimo circiter meridiem, appulimus in *Pleymuydam*, ibi Navarchus noſter fabrum lignarum Medenblicenſem conduxit.

Die 28 Summo manè reliquimus *Pleymuydam*, Flante Cœciâ.

Die 29 Cœlo ſereno, Navarchus liburnicæ (quam lingua Batava *het Iacht*) & Celeuſtes (quem *Commis* dicimus) navem noſtram acceſſerunt, decretumque in Senatu nautico, ut quarto menſis ſubſequentis, diſtribueretur quod lingua noſtra belgica *'t rantſoen* dicitur: hoc eſt: quod longis itineribus fit, portio certa cibus & potus ſocijs omnibus navalibus certo pondere & menſura diſtribuitur, quam quiſque pro arbitrio diſponit ſuo.

Iulius. Die 4 Secundum decretam ſententiam Senatus Nautici, prima portio diſtribuitur, quæ talis erat: Vnicuique ſocio navali ſingulis diebus amphora una cereviſiæ: quatuor libræ panis, ſelibra butyri (excepto eo quod liquide exhibetur) ſingulis hebdomadibus, & quinque caſei, in totum iter, dabantur.

Die 8 ſub Poli altitudine triginta novem graduum, & viginti quinque minutorum, juxta locum dictum de *Barrels*, ſocius fabri lignarij in liburnica fatis ceſſit, cum biduum tantum ægrotaſſet,

Die 9 & 10, Ventus flabat Septentrionalis, hinc Arctapeliotes; quo celeri motu ferebamur, ita ut die undecima *Porto Santo*, & *Madera* Inſulæ, nobis ſint viſæ, à parte Orientali eas legentes. 1615 Iulius.

Die 12 Manè vidimus Salvages, quam ad ſiniſtram relinquebamus, aberat a nobis pœnè duo miliaria.

De 13 Mane conſpicuæ nobis erant Teneriſæ, & magnæ Canariæ Inſulæ, per medias eas ferebamur circiter meridiem, ferventi Aquilone, & felici itinere.

Intra decimumquartum, & decimumquintū, eodem vento, & itinere felici Tropicum Cancri ſuperavimus.

Die 16 Manè Boreâ flante concitabat fluctus, ut ſcaphula noſtra, quæ magnam Navem ſequebatur, aquâ impleretur, retinacula frangebantur, tandem abrupta, perijt nobis, licet ſine ullo periculo nos ſubſequuta fuiſſet Hornâ: meridie altitudo erat Poli viginti graduum, triginta minutorum.

Die 17 & decimo octavo ſudum erat cœlum, & felix progreſſus: flabat ventus à Septentrione, mox Phænix, hinc Caurus: dirigebamus iter Meſolibonotum verſus, & in Meridiem, & decimo nono circiter Meridiem, ſub Poli altitudine quatuordecim graduum, quadraginta quinque minutorum.

Die 20 Manè dilapſi ſumus ad partem Septentrionalem Capitis Viridis, ad octo orgyjarum altitudinem, cum primum terra à nobis conſpiceretur, littus legentes, Sole jam orto, ipſum promontorium aberat a nobis hypafricum verſus, ut etiam Phænice flante non ſuperaſſemus, quare poſita anchora, ad altitudinem triginta duarum orgyiarū ad terram ipſam; proximâ nocte ventus erat vehemens, comitante multo fulmine, & pluvia.

Die 21 Manè flabat Euronotus, hinc ventus varius,

1616. Iulius. vela ventis dedimus, curſumque direximus in mare, primum Meſargeſten verſus, poſtea in Caurum, ſed tantum ſex miliaria eo die navigavimus.

Die 22 totum diem ferebamur in malaciâ, velis non expanſis; promontorium Capitis viridis, ab Occidente conſpiciebamus, circiter veſperam à nobis velum conſpectum in Meridie, ferebatur in Caurum.

Die 23 Manè ventus a Meridie, ut promontorium Capitis viridis ſuperare non potuerimus, ſed anchora jacienda fuit, ob fluxum adverſum, circiter Meridiem vento Occidentali expanſa ſunt vela, ſuperavimus promontorium, ut circiter veſperam anchora demiſſa, intra ſecundam Inſulam, in oportuna navium ſtatione, ad decem orgyjarum altitudinem, fundo arenoſo.

Die 24 pluvia ingens nobis moleſta, præparabamus nos, ut vaſcula noſtra aquâ recenti repleremus.

Die 25 Navem noſtram acceſſit *Alcayer* (id eſt Gubernator) cum quo inter nos conventum, pretio octo virgarũ ferri, ut liberè promicondi navium noſtrarum ſibi de ſufficienti quantitate aquæ proſpicerent.

Die 26 Subnubilo cælo, & pluvioſo, apparuit nobis Navis ex vaſto mari ad nos navigans, anchoram demiſit a nobis diſtans duo miliaria, penes terram; Roterodamenſis erat, quam linguâ noſtrâ *een Boot* dicimus, iſta loca peragrans, ut negotiaretur cum incolis iſtarum regionum.

Die 28 & vigeſimo nono: proſpectum nobis eſt de aquâ, liburnica noſtra excurrit in locum quem Rotterodamenſis occuparat, in ſinum quem *Refreſco* dicimus, ſi fortè fortuna poſſet adipiſci Limones; ſed ſub veſperam recurrens, nunciatum nobis ſpe noſtra falſos eſſe.

Die 31 Navis ex Gallia elapſa è mari, ſe ſtitit in ſtatione

tione noſtra. Eodem die Æthiops quidam detentus fuit in navi noſtra, qui nobis mõſtravit commodum locum piſcandi; noſtri vero in terram devecti ſagena, tantam copiam piſcium variorum generum cæperunt, ut ſufficeret ambabus navibus biduum.

Die 1 Auguſti, Summo manè nos vela facientes reliquimus promontoriũ Capitis viridis, ſocia navi Rotterodamenſi, quæ nos circiter meridiem deſeruit, recta petens Inſulas Salis. Diem totum naturalem fruebamur cælo ſereno, ventoque ſatis concitato ex Septentrione, curſus noſter erat in Africum. 1615. Auguſtus.

Die 2 Cœli ſtatus idem, nec ventus mutaverat ſtationem, nec impetũ: Nacti eramus duo pecora, in promontorio Capitis viridis, nempe Vitulum, & Hircum, qui ſuffecerunt alimento omnibus ſocijs navalibus totum diem.

Die 3 Ventus plane erat conſopitus, de nocte ſerenitas nobis grata, de die vero cœlum ſubnubilum, non ſine fulgure, tonitru, & pluvia.

Die 4, Circiter meridiem altitudo nobis erat poli, duodecim graduum, duodecim minutorum. Dies totus naturalis erat ſerenus, cum vento modicè flante, progreſſuſque erat felix, ut & die ſequenti quinto.

Die 7 Octavo, & nono: pluvia vehemens nos fatigabat, ſed ventus ſecundus, & progreſſus non infelix tœdium iſtud pluviæ devorabant.

Die 10 Aer adhuc erat pluvioſus, ſed moderatus ventus, de nocte circiter duodecimam, a noſtris velum conſpiciebatur à prora, navigij actuarij Hiſpanici.

Die 15 Ventus paulo erat fervidior, proceſſu non minori, placebat nobis cœli ſtatus. Videbamus quam plurimas aves *Rabos Forcados* dictas, cœpimuſque unum

 piſcem

1615. Auguſtus. piſcem *Dorado* dictum.

Die 16 ipſo Meridie, altitudo nobis erat Poli, ſeptem graduum, quadraginta minutorum, cœlo ſereno, ventoque leviter flante, ut ſuperioribus diebus.

Die 17 In prandio altitudo erat nobis Poli ſeptem graduum, duodecim minutorum, cum aëris tranquillitate, ventoque ſuaviter ſpirante Africo. Eo die cœpimus quamplurimas *Bonitas*, & medios *Corettos*.

Die 18 & decimo nono, non deſtitit nobis ventus eſſe adverſus, ut elapſis diebus: decretumque ideo fuit à noſtris, ut curſum dirigeremus in locum dictum *Sierra Liona*, ut iſtic nos reficeremus, cum jam quamplurimi e ſocijs navalibus incidiſſent in morbum Scorbutum, qui ipſis familiaris eſt, imo cum nobis quotidie cum vẽto adverſo luctandum eſſet, maxime cum ſpe nobis excidiſſet ſubito tranſeundi lineam Æquinoctialem ea anni tempeſtate: deerat & hoc, quod in promontorio Capitis viridis non ex voto, ſed ſobrie nos refocillaveramus. Toto iſto die civili favebat nobis cœlum, ventuſque nobis erat favorabilis: Sub ipſum prandium altitudo nobis erat Poli ſeptem graduum, & quinquaginta minutorum.

Die 20 Hora prandij altitudo nobis erat Poli, ſeptem graduum, viginti quinque minutorum; Aura nobis favebat, & Æolus fervidior flabat à Meridie, dirigebatur iter in Orientem, & Meſocæciam: conſpectæ a nobis quamplurimæ aves, terreſtres, & aquarum mutationes; ſub veſperam tentavimus arenoſi fundi altitudinem triginta ulnarum; imo jam prope ad terram devecti eramus, à qua ſuſpicabamur abeſſe adhuc quadraginta miliaria; Anchoram fiximus de nocte in vado ſexdecim ulnarum, a parte Occidentali loci dicti *Baixos*

Sancta

Sanctæ Annæ. 1615. Auguſtus.

Die 21. Manè, Sole Oriente, vela expandimus, & apparebat nobis montoſa regio dicta *Sierra Liona*, a Meſoborea, ſed diſtantia ſex miliariorum; conſpiciebamus etiam id temporis Inſulas *Mabrabomba* dictas, poſitaſque ad angulum Auſtralem *Sierræ Liona*, ad Septentrionalē *Baixos Sanctæ Annæ*. Montoſa eſt regio de *Sierra Liona*; ita ut altitudine ſua ſuperet omnes intra promontorium Capitis viridis, & Oras Guineæ, eaque de cauſa ab omnibus facilè cognoſcitur. Eo die ſummoperè laboratum eſt, ut terram contingeremus, ſed fluxus maris erat adverſus, curſus erat contiguus littori, ferebamur etiam per *Baixos Sanctæ Annæ*, per vadū decem, novem, octo, ſeptem, quinque ulnarum, cum Septentrionem verſus deflectebamus, profunditas major erat, in Orientem vero minor: ita ut ſub veſperam anchoras ſolvebamus pleno mari in vado ulnarum quatuor & ſemi, ſatis molli, de nocte vero non pleno mari profunditas erat trium ulnarum & ſemi, ſed aura erat placida, cum ſerenitate.

Die 22. Crepuſculo matutino, Navarchus *Guilielmus Schouten*, ſe commiſit liburnicæ noſtræ, qua nos navigando antevertit, ſed continuo ſequebamur; Caurus impellebat nos in Boream, mari refugo ſub utroque latere navis ad proram: ſic deſeruimus *Baixos*, uſque ad ulnas octodecim, provecti in Inſulas *Mabrabombæ*, quæ in ſummam altitudinem ſe extendunt, tres in ordinem ſitæ, Auſtroafricum verſus, & verſus Aquilonem, diſtātia ſemi miliaris ab Auſtralis promontorio *Sierræ Liona*, in mare vergentes: Deprehendimus iſtic fluctus compoſitos, quatuor aut quinque ulnarum, æquali limoſoq; vado. Anchora jacta circiter miliare unum a terra, quam

1615. Auguſtus. quam cum adnavigaſſemus, deprehendimus ſolitudinem, ſed veſtigia immenſa ferarum quamplurimarũ apparebant. Regio planè inculta, plena ſylvis, paludibus profundis, altiſque montibus.

Die 23 Manè *Iacobus le Maire, Archiceleuſtes*, etiam ſe commiſit liburnicæ, hinc duabus ſcaphis terram petijt, ubi flumen intravit, quod rupes & ſcopuli obſederant, ut Naves magnas non admitteret, ſed intus valde erat profundum, atq; ita latum ut liberè liceret vagari in eo vento etiam contrario: Littora erant deſerta, tantum conſpecti tres indomiti Boves, & copia Simiarum caudatarum; nonnullæ etiam aves, latrantes more Canum. Æſtu maris ferebantur in flumine ad tertium miliare; ſylveſtres palmitæ valdè raræ: ſub veſperam reverſi feliciter, naves conſcenderunt, cum nec ulla hominum veſtigia, nec ullos fructus qui neceſſitati potuiſſent inſervire, vidiſſent.

Die 24 iterum ambæ Scaphæ in terram remigarunt, hoc unum ſtudentes ut incolas convenirẽt, aut fructus carperẽt ad reficiendum, unaquæq; in diverſo flumine. Andreas Nicolai Mercator Liburnicæ, cum Aſſeſſore quodam, in una, & Nicolaus Ban, cum vicenauclero noſtro, in altera, ad quintum uſque miliare Regionem oberrarunt, & vigeſimo quinto die ſummo manè ad nos redierunt. Mercator liburnicæ, devectus erat in flumen ſalſum: nihilque præſtiterat, tantũ adferens ſylveſtres quinque aut ſex Palmitas: Sed Nicolaus Ban, qui ſe commiſerat flumini dulci, invenit planitiem quãdam, arboribus novem aut decem virentem, ex quibus ſeptingenta, & quinquaginta mala Medica decerpſit, pœnè matura, ita ut libera eſſent à putredine: Apparuerunt quamplurimæ teſtudines, cum nonnullis Crocidi-

codilis, ſed nulli Incolæ. Conſultatum inter nos, num ambabus navibus in flumen dulce navigaremus, ut nobis abundanter de aqua & limonibus proſpiceremus, vela fecimus, ſed brevia vetabant; ut anchora jacta ad ulnas ſex, liburnica vero ſe ſtitit ante ipſum flumen, ad littus vento objectum, ubi fluctus non erant moleſti, quos *Baixos Sanctæ Annæ* impediebant. Archiceleuſtes *Iacobus le Maire*, & *Andreas Nicolai* Mercator liburnicæ, Scapha devecti ſunt in flumen, cælo pluvioſo. 1616. Auguſtus.

Die 26 Æolus ſæviebat à Circio, ut velificando nihil profectum ſit; ſed Liburnica curſum direxit ad Auſtrale Caput iſtius ſinus, quod diſtat à capite Boreali quinque miliaria.

Die 27 Mane ſublata anchora noſtra properabamus ad Liburnicam, circiter meridiem vero Scapha Liburnicæ, reduxit nobis Archiceleuſten *Iacobum le Maire*, qui nobis attulit mille & quadringẽtos Limones, quos circum circa collegerat, ſed indigenas ullos non deprehenderat. Circiter veſperam adjunximus nos Liburnicæ, anchoram jecimus ad ulnas tres & ſemi, vado acuto.

Die 28 Proreta noſter, cum duabus ſcaphis in flumen remigavit, quod nobis erat ex adverſo, ſub veſperam reverſus, narravit ſe commodum locum aſcendendi in terram non reperiſſe, nec ulla hominum veſtigia, tantum Bubalum unum, cum vitulo, etiam Paludes & Arbores in aqua ſalſa virentes.

Die 29 Cum deprehendiſſemus nos nondum attigiſſe flumen *Sierræ Lionæ*, concluſum inter nos ſummo mane inde vela facere, & dirigere iter verſus Septentrionalem partem terræ altæ, ipſo meridie ſuperavimus Inſulas de *Mabrobomba*, ſcilicet ab Occidente eas le-

1615. Auguſtus. gentes, & terram altam à Septentrione, altitudine duodecim & quindecim ulnarum, circiter veſperam nacti ſumus promontorium, anchoraque demiſſa ad altitudinem quindecim ulnarum.

Die 30 Manè, Anchoris ſubtractis, æſtu maris, ventoque Meridionali, ferebamur ante Vicum in iuſta ſtatione *Sierræ Lionæ*, anchoram poſuimus iſtic ad altitudinem octo ulnarum, vado arenoſo, extra ſclopi majoris jactum, à terra; longè videbamus nonnullas caſulas ſtramine tectas. Æthiopes ſua lingua vocabant, ſe velle a noſtris accerſi; cum ipſi Canoas non habeant, nos ſtatim ſcapham noſtram ad eos miſimus, quæ ſtatim onuſta quinque Æthiopibus ad nos redit, quorum unus interpres erat, qui petebat ut obſides darentur, nam paulò antè Galli fuerant, qui duos Æthiopes vi, aut furto abduxerant. Andreas Nicolai qui etiam ſe terræ commiſerat, obſes erat, habens nonnulla corallia, pro quibus iſto meridie mutabat ſeptingentos Limones, pœnè maturos, duaſque copulas Bonannarum fere maturarum. Interpres iſte miſcebat inter ſe varia linguarum genera. Dies iſte totus naturalis, cum eſſet ſerenus, ſocij navales eo die deſcenderunt in terram, ut ſibi de aqua proſpicerent, quod facilè eo loci fieri poteſt, defluit enim à montibus, uſque ad ipſam navium ſtationem, ita ut vaſcula noſtra tantum admovebamus ad ipſum aquæductum, eaque ad ſcaphas deferebamus ſine ullo labore, aqua iſta erat optimi ſaporis.

Die 31 Omnia vaſa noſtra replevimus aqua recenti, manè *Iacobus le Maire*, Andreas Nicolai, Nicolaus Ban, & omnes Aſſeſſores terram petiverunt, eoque die mutabant ut conjicio viginti quinque mille Limones, paucis Corrallijs, & vilibus Nureburgenſium cultellis: ſi pe-

ſi petijſſemus centum mille obtuliſſent nobis, affluebant enim ſylvæ Limonibus. Circiter veſperam ab Æthiopibus mutabamus magnam piſcium copiam. 1615 September

Primo Septembris, poſt meridiem anchoram ſuſtulimus, & flumine ſecundo relinquebamus oram, cœlo ſereno, ventoque felici, ſub veſperam ſtitimus nos navem ante oſtium maris, juxta flumen non magnum.

Die 2 Manè, Liburnica noſtra littori ſe commiſit ſed pleno mari, ut a ſordibus adnatis expurgaretur, data jam commoda occaſione, cum iſtic creſcat, & defluat mare ad altitudinem ſeptem pedum. Veſpera ingruente, ſocij navis noſtræ redibant ad nos, ſecum adferentes animalculum dictum *Antilop*, quod hærens in laqueo deprehenderant ab Æthiopibus conſtituto, decerpſerant etiam nonnullos Limones; ſub noctem Scapha demiſſa ut irent piſcatum, quod feliciter ſucceſſit, magnam enim copiam piſcium ceperunt, etiam nonnullas Palmitas e ſylvis abſciderunt.

Die 3 Liburnica noſtra à ſordibus circum circa expurgata à littore redit. Navarchus etiam noſter piſcatum abijt, non infelici ſucceſſu, multos enim piſces ceperat, quorum forma erat qualis eſt cultellorum apud calciarios noſtrates. Vnuſquiſque ſociorum decerpſerat ſibi ipſi centum & quinquaginta Limones.

Die 4 Manè ſummo anchoras levavimus, vela facientes, reliquimus *Sierram Lionam*, vento modico, ſed veſpera adveniente vento plane adverſo, coacti fuimus anchoram ponere, ad altitudinem quatuordecim ulnarum, vado fidiſſimo.

Die 5 Prima vigilia levatur anchora, navigamus cœlo placido, ſed rurſum poſita anchora, tertia vigilia. ad altitudinem quatuordecim ulnarum, vado arenoſo.

1616. September Die 6 Prima vigilia, iterum navigabatur, ſed vento adverſo, iterum anchora jacitur ad altitudinem viginti duarum ulnarum, vado ſabuloſo. *Sierra Liona* eo die adhuc à nobis conſpiciebatur eminus: notabamus hic æſtum maris vehementiſſimum.

Die 9 Iterum vela fecimus, ſed vento leviter flante, ventoque adverſo, circiter ſextam ponimus anchoram, ad altitudinem triginta duarum ulnarum, vado calculoſo.

Die 10 Prima vigilia, vento ab Africo flante, navigatum eſt, ſed poſt meridiem malacia oborta, demittuntur anchoræ minores, velis tamen ſolutis; paulo poſt vi venti expanſa nonnihil vela, ſubducuntur anchoræ, ſed tertia vigilia iterum tranquillitas juſſit demittere eas, ad altitudinem viginti novem ulnarum. Poſtrema vigilia, aura levior juſſit tollere anchoras, ſed omnia incaſſum, licet extrema omnia tentaremus.

Die 11 Rurſum itineri nos dedimus, ſed ſecundo quadrāte ponebatur anchora, ob malaciam, fluxus maris vergebat in Septentrionem: paulo poſt tollitur iterum anchora, impellente vento, ſed poſtea eadem malacia ſtitit nos, cælo nubiloſo.

Die 12 Circiter meridiem altitudo nobis erat Poli novem graduum, viginti minutorum, veſperi ſtitimus nos ad altitudinem ſeptendecim ulnarum.

Die 13 & decimoquarto, non placebat nobis aëris tranquillitas, cœlo obducto.

Die 15 Mane, jubebatur anchora levari, & navigari Coro flante, pluvia nobis erat moleſta totum iſtum diem civilem. Liburnica noſtra mane nebula quadam craſſa à nobis aberrarat, ea de cauſa bina tormenta ſunt diſploſa, ab utroque navis latere, ut certior eſſet de

de nobis, circiter decimam à noſtris eſt conſpecta cum gaudio. 1616. September

Die 16 Venti flabant varij, anchora fixa ad viginti quinque ulnas: Totum iſtum diem civilem pluvia nobis erat moleſta; etiam venti vehementia, fluctus erant ſolito concitatiores.

Die 18 Meridie circiter duodecimam vela fecimus, at Liburnica noſtra amittebat rudentem, cum anchora, inter extrahendum, cum erat erecta, vis venti erat valida, & undæ magis ac magis concitabantur.

Die 19 Mane, cum nobis ventus erat adhuc contrarius, & jam plane defatigati continuis tempeſtatibus, & aſſidua pluvia, conſultum inter nos, recurrere ad oras *Sierræ Lionæ*, ut nos reficeremus, & de potu proſpiceremus; poſt meridiem favit nobis ventus Caurus, qua de cauſa mutavimus ſententiam noſtram, curſuſq; directus in Meridiem, ne occaſio ulla itineris abſolvendi prætermitteretur.

Die 20 Nobis adhuc favebat Æolus, flans à Septentrione, cum pranſum ibatur altitudo erat Poli octo graduum, triginta minutorum.

Die 21 & ſingulis pœnè diebus ſubſequentibus iſtius menſis, venti erant varij, tranquillitates crebræ, pluviæ copioſiſſimæ: trigeſimo die hora prandij altitudo erat Poli quinque graduum.

Principiò Octobris, varijs affligebamur ventis, crebra malacia, maximè pluvia vehementi, totos dies & noctes continuos. October.

Die 5 Poli altitudo erat quatuor graduum, & viginti ſeptem minutorum. Hora ipſa prandij, ecce tantus ſtridor juxta proram navis exauditus eſt, ut Navarchus noſter, qui forte id temporis erat in puppis ambulacro,

1615. October. ſuſpicaretur ſocium quendam à prora, aut antenna veli prioris in mari incidere; ſed cum oblique eò proſpiceret vidit undas maris ſanguine tinctas, quaſi copioſus ſanguis à nobis effuſus fuiſſet, miratur valdè, ignorans cauſam rei geſtę: ſed docti poſtea, magnum piſcem cornutum, aut monſtrum marinum, navi alliſiſſe cornu, magno impetu, nam cum perveniſſemus ad locum dictum *Porto Deſire*, navemque in littus ſubduxeramus, expurgandi gratia, comperimus juxta proram ad altitudinem ſeptem pedum ſub aqua, cornu hærens, forma & craſſitie æquale denti communis Elephantis, non cavũ, ſed ſolido, & firmo oſſe conſtans, adactum erat per tres navis compages, ſcilicet, per duas tabulas abiegnas, & unam querceam, uſque in coſtam; quæ vim fregit tantam; noſtro profecto bono; nam ſi intra coſtas impulſum fuiſſet, ſine ullo objecto, magnum fortè vulnus lateri navis inflixiſſet, & nos, noſtraque omnia periculo naufragij expoſuiſſet, ſed ope divina evaſimus. Hoc cornu impulſum erat in latus navis, uſque ad altitudinem pedis dimidij, & pari menſura fere prominebat, unde vi Herculea abruptum fuit, hinc totum mare ſanguine tinctum fuerat.

Die ſexto, ſeptimo, & octavo, cœli adhuc ſtatus varius, pluvioſus. Poſtremus dies totus civilis elapſus cum pluvia.

Die 10 magnam piſcium copiam cepimus, circiter meridiem altitudo nobis erat Poli trium graduum, triginta minutorum.

Sequentibus diebus, venti varij flabant à Meridie.

Die 15 altitudo Poli nobis erat duorum graduum, & triginta quinque minutorum. Eo die plus minus quadraginta Bonitæ à noſtris captæ.

Die

Die 16 Erat nobis altitudo Poli unius gradus & quadraginta quinque minutorum. Eo die piſcatio ſociorum noſtrorum cum fænore fuit, quamplurimæ a nobis conſpectæ Balenæ. 1615. October.

Intra diem decimum nonum, & vigeſimum, media nocte ſuperavimus Lineam Æquinoctialem.

Ventus Vulturnus, & Euronotus non deſtiterunt flare, ante vigeſimum quartum diem, tunc cœpit flare Eurus, curſus noſter in Meridiem erat, tanta vero erat undarum vehementia, ut dolonem noſtrum diſruperit, circiter Meridiem altitudo erat Poli, trium graduum, quadraginta trium minutorum, à Meridionali parte Lineæ Æquinoctialis.

Die 25 Nulla erat mutatio venti, neque curſus. Hoc tempore non conſtabat certò cuiquam ſociorum (exceptis tribus, ſcilicet Navarcho noſtro, & Præfecto Guilielmo Cornelij Schouten, cum Archiceuleuſte Iacobo le Maire) quo fine moleſtum & longinquum hoc iter ſuſceptum eſſet; quód tum ab ipſis omnibus præſentibus aperitur: ſcilicet hanc eſſe eorum mentem, quærere per aliam viam, quam per fretum Magellanes, ductum in mare Auſtrale, etiam novas terras, & inſulas numquam antea detectas; in quibus omniũ divitiarum copia afflueret, ſi vero ex ſententia non omnia feliciter ſuccederent, per mare Auſtrale in Indiam Orientalem navigarent. Hac ſententia declarata, inter ſocios navales obortum fuit gaudium magnum eo die, cum jam ſingulis conſtaret, quo ducerentur, ſperanteſque ex felici tanti itineris ſucceſſu, non exiguum commodum.

Die 26 Ipſo meridie erat nobis Poli altitudo ſex graduum, viginti quinque minutorum, cœlo ſereno, & vento commodo. Subſequentibus diebus menſis Octobris,

1616. bris, flabant Subſolanus, & Arctapeliotes, iter noſtrum erat in Meridiem, pridie calendarum, Poli nobis erat altitudo decem graduum, triginta minutorum.

November Ipſis Calendis Novembris ſubterlapſi ſumus Solem, ita ut umbræ noſtræ ipſo Meridie vergerent in Meridiem.

Die 3 Poli nobis erat altitudo novendecim graduum, viginti minutorum. Apparebant nobis nonnullæ aves nigræ, cum duobus aut tribus laribus marinis: à meridie conſpiciebamus unam Inſularum Martini Vaes, dictam *Aſcenſion*, ſita erat à nobis Meſeurum verſus, ad Poli altitudinem viginti graduum, deprehendimuſque iſtic pixulæ noſtræ acum deflectere nonnihil Arctapelioten verſus, duodecim gradus ſcilicet. Venti flabant à Septentrione, etiam non ceſſabat Aquilo, dirigentes iter noſtrum Auſtrum verſus. Eo die ſingulis ſocijs navalibus duplex diſtribuebatur portio Vini, quia brevia *Abrolhos* dicta præternavigeramus.

Sequentibus diebus uſque in decimum, navigatum eſt in Meridiem, maximè in Africum. Poli nobis erat altitudo viginti quinque graduum, triginta trium minutorum.

Die 11 Deprehendimus pixulam noſtram deflectere ſeptendecim gradus, verſus Arctapeliotē, flante Auſtro dirigebamus iter Occidentem verſus, etiam in Africum.

Die 12 Flabat Meſeurus, cum Subſolano, iter noſtrum erat in Circium, & in Africum. Ipſo prandio Poli erat altitudo viginti ſex graduum, quadraginta quinq; minutorum.

Die 13, decimo quarto, & decimo quinto navigatur in Meridiem & in Africum, ventus flabat ab Oriente.

Die

Die 16, decimo ſeptimo, & decimo octavo, vento Meridionali, deflectebamus iter Lipafricum verſus: dum prandebatur erat nobis Poli altitudo triginta quatuor graduum, quindecim minutorum: conſpeximus multum ſpermatis balœnarum. 1615 November

Die 19 Ventus flabat à Septentrione, cui ſe jungebat Caurus, deflectebatur iter verſus Circium, & notabamus nos æſtu maris vehementer ferri in Meridiem.

Die 20 Altitudo nobis erat Poli, triginta ſex graduum, quinquaginta ſeptem minutorum; videbamus excrementa maris, (*ſquallen* dicta noſtra lingua) & exercitum pediculorum marinorum, qui terreſtribus perſimiles, ſed magnitudine muſcæ parvæ.

Die 21 Sub prandio, altitudo nobis erat Poli triginta octo graduum, viginti quinque minutorum. Mutabatur iſtic color aquæ, bolis ejicitur, ſed vadum non reperitur, habebamus ſeptendecim gradibus acum pyxidis nauticæ accreſcentem Arctapelioten verſus; luna ſub veſperam a noſtris conſpecta, planè nova, nata primum ante horas viginti, & unam.

Die 22 In Senatu nautico decretum ut unicuique ſocio navali, quotidie daretur Cheopina, (quam noſtrates *Mutſken* nominant) una vini Hiſpanici, unaque olei ſingulis hebdomadibus, Gallicum enim vinum, & butyrum erant abſumpta.

Die 23 Multas vidimus Balœnas, & aquam pallidam, circiter prandium altitudo erat Poli quadraginta graduum, quinquaginta ſex minutorum.

Die 24 Videbamus copiam magnarum Piſcium, & lenticulam ſaxeam aquis ſupernatantem. Ab Occidente fluctus agitabantur concitatiores; hinc quamplurimæ aves ſe offerebant.

1615. November Die 30 Aqua pallebat, quaſi e flumine efflueret, iudicaſſet quis nos prope terram eſſe: altitudo erat Poli quadraginta ſex graduum, quindecim minutorum: non deſerebat nos avium copia.

December Die 2 Decembris: ſub elevatione Poli quadraginta ſeptem graduum, quadraginta quinque minutorum; innatabat undis maxima copia lenticulæ ſaxeæ.

Die 4 Eadem materia aquis ſupernatabat, aqua pallida occurrebat, cum avium grege. Elevabatur polus ipſo Meridie quadraginta gradus & ſeptem, cum viginti quinque minutis. Acus vero pyxidæ nauticæ deflectebat Arctapelioten verſus ſexdecim gradus: Circiter veſperam bolis ejicitur, ad ſeptuaginta ulnas, vado arenoſo.

Die 5 Manè, ſecundò metiebatur aquæ profunditas, ad ulnas ſexaginta quinque. Congregabant circiter nos multæ aves, nec minuebatur copia lenticulæ ſaxeæ. Ipſo prandio elevatio erat Poli quadraginta ſex graduum viginti quinque minutorum: Veſperi tentavimus vadum ad ulnas quinquaginta quatuor. Conſpectæ à nobis eo die quamplurimæ Balœnæ.

Die 6 Manè, Sole oriente altitudo erat aquæ quadraginta ſex ulnarum: ferebamur vento Cauro, verſus Lipafricum. In prandio deprehendebatur Poli elevatio quadraginta ſeptem graduum, triginta minutorum: poſt prandium, deprehenditur profunditas quadraginta duarum ulnarum. Circiter horam quartam pomeridianam viſa eſt à noſtris terra, non montoſa, ſed plana Regio, albi coloris; Ex ſententia noſtra incidimus in partem Septentrionalem Portus, loci dicti *Porto Deſire*, ſub veſperam anchora poſita ad ulnas decem, diſtabamus à terra miliare unum, & ſemi. Refluxus erat ma-

ris

ris tantus, vergens in Meridiem, quantus in Stricto, aut in oris Zelandiæ. 1615. December

Die 7 Sole orto, levatur anchora, navigatur in Meridiem, uſq; in horam prandij, tum navis appulit noſtra portum de *Porto Deſire*, ſub elevato Polo quadraginta ſeptem gradus, cum quadraginta minutis, curſum direximus ad Os ipſum, cum eo perventum eſſet, mare erat plenum, ut Notæ omnes pœnè erant aqua tectæ, ita ut rupes de quibus *Oliverius à Noord* tractat, & quæ in introitu portus hujus Septentrionem verſus relinquendæ ſunt, a noſtris non conſpiciebantur, altitudine aquæ, ſed à parte Meridionali apparebant adhuc nonnullæ, quas illas eſſe judicabamus, eaſque ideo ad Meridiem relinquebamus, navigantes ab ipſo Ore in Meridiem, in ſinum non convenientem, tanquam in ſaccum, ibique ſtitimus anchoram, pleno mari ad altitudinem quatuor ulnarum, & ſemi, mari vero vacuo, reſtabat nobis tantum quatuordecim pedum altitudo, ita ut navis *Concordia* dicta, puppi vado illideretur petroſo & difficili. Ventus erat Occidentalis, à terra flans, & fluctus placidi, noſtro profecto bono: quod ſi flaſſet ab Oriente, aliqua ſaltem vehemētia, actū fuiſſet de tota Navi. In ſcopulis inveniebamus quamplurima ova, piſcatio etiam erat non infelix, præſertim concharū, & Apuarum, quæ longitudine ſua, latitudinem ſexdecim pollicum excedebant; qua de cauſa, hunc ſinum Apuarum diximus Scapha noſtra Inſulas Pinguinas petijt, diſtantes Eurum verſus à *Porto Deſire* duo miliaria, ſub noctem reverſa, onuſta erat duobus *Leonibus* marinis, & 150 Pinguinis, avibus ita dictis, quas poſtridie comedimus.

Die 8 Manè, ſub Auroram, vento à terra flante, reliquimus ſinum Apuarum, anchoramque fiximus ante

1615. December ipſum portum loci *Porto Deſire* dicti. Scapham demittimus ut oſtij profunditatem inquireret, hora prandij ad nos redit, duodecim aut tredecim ulnarum profunditatem in ipſo oſtio inventam, a ſocijs narratur, Abſoluto prandio, pleno mari, vento Cœcia flante iterum navigabatur, Duce liburnica, recta in Portum. Cum iter unius miliaris & ſemi abſolviſſemus in ipſo flumine, ventus incidit contrarius, anchora poſita ſtatim ad altitudinem viginti ulnarum, vadum erat ex lapide glabro: cum iſtic hæſiſſemus dimidium horæ, ecce, ſubita oritur tempeſtas, flat Caurus, utraque Navis duabus anchoris licet fixa, littori Meridionali illiditur, imo ne viginti quinq; ſuffeciſſent ſervandis navibus, ita ut etiam utraque ſubiret periculum naufragij; Magnæ navis extremitas inſidebat ſcopulis, & mari refugo paulatim dilabebatur, ſed rimas non ducebat: Liburnica mari fugiente ſe ſtitit inter rupes, ut planè libera ſtaret ab aquis, imo ſicco pede liceret obambulare ſub carina, & ſub ipſa malo: horribile profecto viſu, videre Carinam navis prominentem ex aquis integram ulnam. Vna ſalus hæc aderat, cum Phœnix flaret violentia quadam, ſuſtinebatur a vento nè penitus concideret, apparebat ex eo, cum ſe remittebat ventus, adverſo vento, a littore dilabebatur in latus ſuum, ut extremitates poſitura inferiores eſſent Carina tres pedes, quod ſpectatoribus nobis omnibus horrorem non exiguum incuſſit, quin jam ſuſpicabamur ſpem omnem de recuperanda Liburnica amiſſam, ſed æſtu maris ventoque compoſito, ſeſe erexit denuo, quo omnis mæror ſtatim receſſit: Veſperi cælo placido Navis magna a littore funibus glomeratis deducitur: Liburnica vero præter omnem ſpem ſe nobis de nocte adjunxit.

Die

Die 9 Manè, velo facto navigabamus introrſum, acceſſimuſque ad Inſulam Regiam, ſic dictam ab *Oliverio à Noord*. Liburnica aliud latus ſuperavit, ibique anchoram poſuit, ſed Navi noſtra Concordia non licuit nobis eó pervenire vento adverſo. Noſtri inſulam adnavigarunt, quæ penè ovis erat tecta, ſi quis enim erecto corpore, pedibus conjunctis ſtaret, manibus poterat contingere quinquaginta quatuor nidos, quatuor aut quinque ovis, quæ formam habent, qualem Vanelli noſtrates (ſed paulo majorem) Sterna nigra, ſpecies lari pepererat eas, multa ovorum milia, in naves deferebamus in cibum noſtrum. December

Die 10 Scapha noſtra petijt partem Inſulæ Septentrionalem, ut recentem aquam quæreret, ſed non invenit. Socij navales magno labore foſſas fodiebant profundas quatuordecim pedes, ſed ſemper aquæ marinæ ſaporem referebat, tam in montibus, quam vallibus. Sub veſperam redibant ad ſuos, magnam avium copiam, & ovorum referentes.

Die 11 Scapha deſcendit flumen ad partem Meridionalem, ut aquam, & homines quæreret, ſed ubique ſalſa erat. Apparebant nonnulli Struthiocameli, & animalia formam Cervorum referentia, longis collis, ſed timida. In ſummitatibus montium ſe offerebant nobis nonnulla monumenta, quæ erant acervus lapidum. quem cum primum conſpiceremns, diſiecimus, quid lateret ignorantes, deprehendimus ibi Sceleton humani corporis, & oſſa ad longitudinem decem aut undecim pedum. Cadavera defunctorum in verticem montium deferunt, ibique deponunt, lapidibuſque tegunt, ut libera ſint a feris, & avibus.

Die 12 decimo-tertio, decimoquarto, decimoquinto, de-

1615. December to decimo ſexto, Socij navales aſſidui erant in deſcenſ in terram, ut ſibi de aquis proſpicerent; ſed nihil præte aves, & piſces retulerunt nobis.

Die 17 Diducta eſt Navis magna intra Regiam inſulam, ad littus, pleno mari, ut a ſordibus purgaretur: Mari refugo, ita deſerebat nos aqua, ut liberè ſicco pede obambularetur Navis.

Die 18 Liburnica noſtra etiam littori impoſita eſt, ut ſordes accretæ tollerentur; diſtabat à Navi magna ſclopi majoris jactus duos.

Die 19 Dum hoc unum agitur ad utramque navem, & Liburnicæ ignis ſatis incautè adhibetur, ecce, improviſo, & ſubito flamma fertur in rudentes, & vela ſurſum, ut uno momento nulla ſpes ſupereſſet extinguendi; maxime cum à mari abeſſet quinquaginta pedes, loco ſicco; ita ut nobis invitis, & ſpectantibus Vulcania flamma totam navem raperet, quæ nobis ſatis iniqua, nihil præter cineres, & fumos reliquit.

Die 20 Pleno mari Navem noſtram *Concordiam* reduximus in Mare; poſtea viſitavimus Liburnicā, ignem ahuc ſcintillantem extinximus, qui abſumſerat eam uſque ad Carinam ipſam. Subſequentibus diebus quod Vulcanus nobis relinquerat, in partes ſecatur, ligna, & ferramenta omnia, tormenta bellica, anchoræ, ad Navem Concordiam deferuntur, ut uſui eſſe poſſint poſtea.

Die 25 Noſtri obambulantes longè à Navi, inciderunt in foveas nonnullas, recenti aqua turgentes, ſed albida & turbida, inde quotidie aqua ad navem allata eſt. Nonnulli ſociorum humeris ſuis portabant vaſcula aquis repleta, aliqui armati ſclopis majoribus incedebant, defenſionis gratia, quidam erant ſolliciti de alimento,

Notatio locorum nonnullorum in Tabula ſubſequenti, de *Porto Deſire*.

A. **De Spieringhbay** / *Latine diceremus ſinus Apuarum, quem ignorantia quadam ducti ingreſsi eramus, at cum periculo naufragij maximo totã noctem in eo hæſimus.*

B. *Locus eſt, quo ad littus ferebamur, ut naves ſiccæ conſederint, ut ſub Liburnica libera eſſet deambulatio, horrendum profecto viſu.*

C. **Het Vogels-Eylandt**/ *quod Latine Avium Inſula, dicebatur nobis, in qua pullos avium quamplurium cepimus.*

D. **Het Leeuwen Eylandt**/ *quod Latine, Leonum Inſula.*

E. **Het Coninck Eylandt**/*quod Latine Regia Inſula, intra cuius anfractus Naves noſtræ poſitæ fuere.*

F. *Locus quo Vulcanus Liburnicam noſtram* Hornam *abſumpſit.*

G. *Locus, quo cum maximè ſolliciti eſſemus, aquam recenem invenimus, quam vaſculis minoribus in navem ferebamus.*

H. *Sepulchra* Gigantum, *quorum ſceleta longa erant decem, & undecim pedes, crania vero capitibus noſtris aptabamus loco galeæ.*

I. K. *Figuræ ſunt Leonum Marinorum, & Leænarum, quos captos comedimus.*

L. *Hæc animalia Cervorum formam habebant, longitudo collorum, longitudinem corporum ſuperabat, velociſsima erant, apparebant nobis quotidie in montibus.*

M. *Struthiocameli, à nobis hic conſpecti.*

N. *Furca eſt ſaxea, à natura mirificè fabricata, eminus apparet ut pharus, arte humana factus.*



M
L
N
A
B
C
D
E
F
H
G
I
K

mento, quotidie multas aves, & ova ad nos deferebant, etiam juvenes *Leones* marinos, qui nobis erant cibus, mediocris ſaporis. Hi *Leones Marini*, magnitudine non ſuperant pullos equinos, capita ut in leonibus, longis, horridiſque capillis ornata, circum colla; ſed femellæ, nudæ ſunt, ſine ullis crinibus, maſculis medio minores; cum in manus noſtras incidebant, nullis inſtrumentis necari poterant, niſi ictu ſclopi majoris, in pectore, aut cerebro; nam licet centum verberibus, vecte aut ferro illatis contunderentur, ut etiam ſanguis e naribus, & ore efflueret, tamen fugæ ſe dabant. 1615. December

Dum hoc in flumine verſabamur, nobis Æolus erat moleſtus, nec deerant aſſiduæ pluviæ, & tempeſtates continuæ.

Die 9 Ianuarij, poſtremùm nobis proſpeximus de aqua: decimo, anchora tollitur ut reliquum itineris abſolveretur. Abſoluto prandio ventus à mari flabat, ut poſita fuerit anchora, circiter Inſulam *Leonum* piſcatio, & captura avium non fuerunt eo die infelices. 1616. Ianuarius.

Die 12, Scapha noſtra petijt Inſulas Pinguinas, ut ſibi de avibus iſtius Inſulæ proſpiceret, ſed eo die ad nos non redijt propter tempeſtatem, quare pernoctavit in Apuarum ſinu: poſtridie vero ſummo mane nos repetijt, onuſta avibus Pinguinis, ſed putredinem contraxerant ob copiam nimiam, quare piſcibus eſca datæ fuere.

Die 13 poſt meridiem reliquimus *Porto Deſire*, ſed cum ventus ſe componebat, extra portum demittebatur anchora, paulo poſt intendebat vires, levabatur anchora, & alto nos commiſimus omnes.

Die 18 A nobis conſpiciebantur Inſulæ *Sebaldi*

1616. Ianuarius. *de Weert*, diſtantes à parte Orientali, a nobis, trium miliarium ſpatio, & ut notavit *Sebaldus* ſunt à Freto Magellanico diſtantes, Cœciam verſus, & Lipafricum, pœnè quinquaginta miliaria. In prandio, altitudo nobis erat Poli quinquaginta graduum uno addito.

Die 20 Aquis iterum innatabat lenticula ſaxea, notabamus & hic ingentem maris æſtum, Africum verſus fluentem. In Meridie nobis erat Poli altitudo quinquaginta trium graduum. Conjiciebamus nos abeſſe à terra viginti miliaria, à Meridionali parte Freti Magellanici.

Die 21 Nobis elevatus erat Polus ſub Meridiem quinquaginta tres gradus.

Die 23 Summo manè ventus erat Meridionalis, ſub prandio vero, tranquillitas aderat, hinc ſpirabat ab Occidente, id temporis bolis ejicitur, compertum eſt, quinquaginta ulnas nos diſtare, à vado nigro, ſabuloſo, lapillis mixto; hinc ingruebat ventus à Septentrione, mari compoſito & cœlo: mirabamur aquæ pallorem, qualis eſt in interioribus Regionibus; dirigebamus iter Meſolibonotum verſus. Circiter tertiam pomeridianam, apparuit nobis terra, Occidentem verſus, & in Africum, & paulo poſt in Meridiem, ſub veſperam mutavit ſtationem ventus, flans à Septentrione, deflectebamus Eurum verſus, ne navem terræ illideremus. Ventus erat concitatior paulo, & fluctus in eodem ſtatu, ita ut vela ſuperiora contracta fuerint in corona mali (quam lingua belgica de Mars dicimus) ob ingruentem tempeſtatem.

Die 24 Manè, Sole orto, apparebat nobis a dextris terra, imo vix diſtabat à nobis unum miliare magnum, ejecta bolis ad ulnas quadraginta, vento Occidentali ſpirante.

ſpirante. Terra ipſa vergebat, Hypereurum verſus, montoſa, nive alba adhuc tecta. Lambebamus terram, & circiter meridiem apparuit finis à dextris; ſtatim ab Oriente alia apparuit montoſa tamen, & rupibus non continuis interrupta. Hæ binæ regiones, ut nos opinabamur erant diſſitæ octo miliaria, & videbatur intra eas commodum eſſe fretum quod tranſiri poſſet; confirmabat & hoc opinionem noſtram, quod fluxus maris ſatis vehemens intra duas has oras ferebatur Meridiem verſus. In prandio metiebamur altitudinem poli Antarctici quinquaginta quatuor graduum, quadraginta ſex minutorum; poſt prandium ventus favebat à Septentrione nobis; ea de cauſa dirigebamus iter noſtrum per fretum recta, ſed ſub veſperam placidè ſpirabat ventus; ita ut ferebamur tota iſta nocte æſtu maris ſatis vehementi, vento pœnè ſopito. Innumerabilis copia Pinguinarum nos comitabatur, & multa millia Balenarum, ita ut hoc unum ageremus, cedendo, & intendendo Navem, ne magna iſta corpora Carina noſtra læderentur, & nos periculum evitaremus. 1616. Ianuarius.


Die. 26 Manè, non longè diſtabamus, ab ora Orientali regionis vicinæ, quæ erat montoſa, & rupibus interrupta, vergit à parte Septentrionali, Eurum verſus, in infinitum. Regio iſta à nobis dicta fuit, (*Staten-landt*) *Terra ordinum*, ſed illa ad Occidentem, à dextris ſita, dicebatur *Mauritius de Naſſau*. Suſpicabamur ab utroq; latere, bonas ſtationes navium, & ſinus arenoſos, appareant enim undique litora ſabtuloſa, & paulatim aſcendentia, vada arenoſa. Luxuriant hæc loca Piſcibus, Pinguinis, & Cuniculis marinis, etiam avibus, & aqua recenti; at Arborum nulla genera apparuere. In ipſo freto, vel tranſitu, favebat Æolus à Sep-

 tentrio-

1616. Ianuarius. tentrione, dirigebamus iter Auſtroafricum verſus, curſu vehementi: Sub meridiem elevatio erat Poli quinquaginta graduum & triginta ſex minutorum ibatur poſtea in Africum, ſed ventus concitatior non deerat nec pluvia, at curſus erat vehemens. Oculis noſtris ſe offerebat Regio à parte Auſtrali freti, quæ à fine Occidentali terræ dictæ *Mauritius de Naſſau* tendebat Lipafricum verſus, & in Africum, quantum à noſtris conſpici poſſet, terra montoſa, & rupibus interrupta nonnullis erat. Sole cadente ventus Africus flabat, nos vero flectebamus curſum in Meridiem, mari inquietiſſimo vi iſtius venti; aquæ color erat cæruleus, hinc colligebamus certò nos vehi aqua magna, & alta à dextris, non dubitantes quin navigabamus mare Auſtrale: quare omnibus ſocijs navalibus fuit Evangelium. Certò ſtatuentes à nobis viam detectam, antea omnibus hominibus incognitam, ut & paulo poſt reipſa experti ſumus. Vidimus hic immenſæ magnitudinis *Laros* marinos, Cygnos ſuperantes, ſi quando expanderent alas, unius ulnæ longitudinem vincebant. Hæ aves quod non aſſueverant verſari cum hominibus, navi noſtræ inſidebant, ut etiam a ſocijs caperentur, & occiderentur.

Die 26 Poli altitudo erat circiter meridiem quinquaginta ſeptem graduũ, procelloſa tempeſtas ingruebat, ab Occidente, & ab Africo, totum diem civilem, aqua erat valde turbulenta, & cærulea. Deflectebamus in Meridiem, velo ad medium mali demiſſo. Apparebat à Cauro nobis adhuc terra montoſa, de nocte mutabamus iter, in terram oculis noſtris conſpicuam, velo adhuc demiſſo.

Die 27 Sub Meridiem poli elevatio erat quinquaginta



Tierra del Fuogo
Fretum Magellanicum.
C. Virgine
Eerſte engde
Twede engde
Pinguÿns Eylanden
Derde engde
C. Froward
C. Mauritio
Willem Schoutens Wech
Fretum le Maire a Wilhelmo Schouten Hornano Batavo primum inventum et lustratum anno. 1616.
Mauritius de Naſſau
Staten landt
De Caap Hoorn
d'Eÿlanden van Barnevelt
Trac ou chemin de Guillaume Schouten
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
Caarte vande nieuwe Paſſagie bezuÿden de Strate Magellani ontdect en deurgeſeÿlt inden iare 1616. Door Willem Schouten vā Hoorn
Deſcription de nouveau paſſage vers le zud du deſtroict de Magellan, decouvert et paſſe en l'an 1616. par Guillaume Schouten de Hoorn Hollandois

E 2

ginta ſex graduum, quinquaginta minutorum, uno additito: cœlo frigido, & grandinis tempeſtate, & pluvia: flabat ventus ab Occidente, & Lipafrico. Currebamus primum in Meridiem, poſteà in Septentrionem, velo leviter ſuſpenſo. 1616. Ianuarius.

Die 28 Summo mane expandebamus vela noſtra ſuprema, licet fluctus ab occidente eſſent concitatiores: flabat primum ventus ab Occidente, hinc Arctapeliotes nobis favit; Navigabatur primũ in Meridiem, hinc in Occidentem, & hypafricum. Elevabatur Polus nobis in Prandio quinquaginta ſex gradus, cum minutis quadraginta octo.

Die 29 Matutino tempore, ſub Auroram, flabat Vulturnus, navigamus in Africum. Poſt ientaculum, à prora conſpiciebant Socij duas inſulas, Lipafricum verſus à nobis diſſitas, circiter meridiem prope ad eas acceſſimus, ſed ſuperare non licebat, quin deflectendum nobis erat ad Septentrionem, circum circa apparebant ſteriles cinerei ſcopuli, nonnullis exiguis comitibus circumjacentibus: poſiti ſunt ſub altitudine quinquaginta ſeptem graduum à parte Meridionali Lineæ Æquinoctialis. Iſtis inſulis imponebamus nomen à Barneveldio, in gratiam Illuſtriſſimi Domini Iohannis ab Oldenbarnevelt, Advocati Hollandiæ, & Weſtfriſiæ. Navigabamus Corum verſus, ſub veſperam conſpecta nobis iterum terra in Caurum, & Phœnicem, erat ea regio quæ ſita eſt a Meridionali parte freti Magellanici, imo in Meridiem excurrit, planè erat montoſa nivibus tecta, acuto vero promontorio deſinebat, quod Hornæ caput dicebamus, ſub altitudine poli quinquaginta ſeptem graduum, quadraginta octo minutorum. Tum temporis cælum erat ſerenum, Septentrionalis ventus

 nos

1616. Ianuarius. nos impellebat ſub occaſum Solis, & fluctus concitati ab Occidente,quo iter noſtrum inſtituebamus, comperimuſque vehementem maris æſtum in Occidentem vergere.

Die 30 Status fluctuum qui heſternus ab occaſu, aqua erat cærulea, fluxus vehemens, in Occidentem vergens; ex quo indubitanter coucludebamus nos apertis velis navigare mare Auſtrale: dum prandemus altitudo nobis erat poli quinquaginta ſeptem graduum, triginta quatuor minutorum.

Die 31 Poſt auroram flabat à Septentrione ventus, curſus noſter erat in Occidentem: Prandio abſoluto, altitudo erat Poli quinquaginta octo graduum, paulo poſt Meridiem, Occidentalis ventus curſum impedivit,ſocio Lipafrico,hinc varius; tum ſuperaveramus Promontorium Hornæ,& terra non amplius erat nobis conſpicua,ſed fluctus erant turbulentiores ab Occidente,aqua cærulea, quod nobis eò magis certo erat argumento, nos navigare magnum Mare Auſtrale, ſine ullo objecto terrarum, aut inſularum. Venti hic flabant varij, non intermittentibus pluvia, & grandinis tempeſtate,ut frequens incideret mutatio curſuum.

Februarius Februarij Calendis frigus erat moleſtum nobis, & procelloſa tempeſtas ab Africo, ita ut plane collectis velis diminutis, nos vento committeremus currentes Caurum & Corum verſus.

Die 2 ventus flabat ab occidente, in Meridiem ibamus. A prandio Polus ſe elevabat quinquaginta ſeptem gradus, cum minutis quinquaginta octo, comperimuſque duodecim graduum deflexionem acus nauticæ, Arctapelioten verſus. Eo die exercitus Gaviarum & variarum avium occurrebant nobis.

Die

Die 3 Hora prandij, Elevatio erat poli quinquaginta novem graduum, viginti quinque minutorum, cœlo temperato, ſed ventus erat ſatis vehemens ab Occidéte, fuerat eo die ut nos conijciebamus altitudo quinquaginta novem graduum & ſemi ſed nulla terra aut ſignum ullum in Meridiem apparuerat. 1616. Februarius

Die 4 Poli altitudo ipſo Prandio erat quinquaginta ſex graduum quadraginta trium minutorum, venti varij erant moleſti, maximè ab Africo, varius erat curſus, pro venti arbitrio, notabamus adhuc undecim graduū deflexionem acus nauticæ verſus Arctapelioten.

Die 5 Æſtus maris erat vehemens ab Occidente, fluxu turbido, etiam tanto ut juſſerit colligere omnia vela, quod & factum, nam nos, noſtraque omnia libidini venti commiſimus.

Die 8 Sub diem, vergebat ventus in Meridiem, nos contra navigamus in Occidentem. In prandio ſe convertit ad Caurum, nos vero in Meridiem. Altitudo erat poli fere quinquaginta novem graduum, hinc venti varij nos vexabāt, vehemens primum Caurus, ſub racundior Phœnix, cum nebula, frigore, grandine, nive, ita ut vela diminuta vix admitterent quare in Occidentem tendebamus.

Die 12 Omnibus Socijs navalibus exhibebatur tripla portio Vini, in ſignum gaudij & Victoriæ, quod jam ora Freti Magellanici ad Oriente à nobis diſſita eſſet. Eodem die communi Senatus Nautici conſilio, decretum, flagitante & inſtante Archiceleuſte *Iacobo le Maire*, ut novum Fretum (quod a nobis intra oram dictam *Mauritius de Naſſau*, & *Ordinum terram*, detectum) diceretur *ductus*, aut *Fretum le Maire*, licet majori jure, & meritò dici potuiſſet Fretum Guilielmi Schoutenij

1616. Februarius Navarchi noſtri, cujus prudenti adminiſtratione, & peritia nautica, hoc memorabile iter ſuſceptum, & feliciter abſolutum eſt: Notavimus & illud, poſtquam novum iſtud fretum tranſivimus, & legeremus vicinam iſtam regionem noviter inventam à parte Meridionali, imo cum & ab Occidentali parte *Fretum Magellanicum* præternavigaveramus, quod æſtus maris ſemper iſtic fervebat, & fluctus erant tumidi, quotidie nos affligebant, pluvia, Nebulæ, nives, grandinis tempeſtates, ita ut magna moleſtia, & calamitate iter iſtud confecerimus; Sed quod fretum illud tam feliciter detectū erat, & ſpes reliqua detegendi, addebant nobis animum, ita ut vili pendentes omnes labores, iter noſtrum feliciter abſolvere uno animo & mente pariter ſuſcipiebamus.

Die 13 Non parcebant nobis pluviæ, & nebulæ, cum tempeſtatibus aſſiduis. Comites & id temporis nobis erant itineris avium multitudo, & cuniculi Marini.

Die 14 Eramus ſub Poli altitudine quinquaginta graduum, & unius, cum minutis quinquaginta; cælo pluvioſo, nebuloſo, & tempeſtuoſo; ut & die ſequenti; ſed mari compoſito; tum poli altitudo erat eadem ſed duodecim minutorū. Flabat ab Occidente ventus, iter noſtrum dirigebamus in Septentrionem; notabamus & hoc, ęſtum maris nobiſcum vergere in eandem plagam.

Sequentibus diebus flabat ventus variè, nonnunquam à Cauro, aliquando Phœnix ſuccedebat, cujus vices ſæpe ſuſtinebat Zephyrus, ſic nobis imperabant uſque ad vigeſimum tertium diem, tum demum ex ſententia res ſucceſſit, flabat enim generalis Auſter cœlo placidiori, fluctus vero petulantiores ab Africo. In ipſo prandio poli altitudo erat quadraginta ſex graduum, tri-

ginta

ginta minutorum. 1616. Februarius

Die 24 Tormenta noſtra bellica ſuſtulimus è navis ventre, eaque ſuo loco, primo ſcilicet tabulato impoſuimus.

Die 25 Vela noſtra ſuperiora, cum Dolonibus ſuperioribus, malis affiximus, cum jam navigaremus *Mare Pacificum*, ſuperatis omnibus procellis, & tempeſtatibus; auxilio divino, cui laus & gloria in ſeculum.

Die 27 Inferiorem ordinem tormentorum bellicorum, ſuo loco repoſuimus, quæ erant demiſſa, & ſepoſita in inferiores navis partes; cum appelleremus *Porto Deſire*, cum omnia ſupervacanea, & ornamenta tollebamus. Elevatio erat Poli, inter prandendum quadraginta graduum, temperato cœlo, Æolo ſpirante a Meridie; cui ſuccedebat Euronotus; progreſſu laudabili, ut ſuperioribus diebus; curſus noſter vergebat in Septentrionem.

Die 28 Senatu nautico, & à quatuor Naucleris decretum eſt, ut viſitaremus Inſulas *Iohannis Fernandes*, ſocios reficiendi gratia; cum nonnulli jam incommoditatibus marinis defatigati, aliqui vehementer ſcorbuto morbo vexati, terram deſiderio deſiderabant. Poli erat elevatio triginta quinque graduum, quinquaginta trium minutorum. Sub veſperam diminuebatur velum, ne in inſulas de nocte incideremus. & curſum inſtituebamus in Aquilonem, ne nimium feſtinando, præternavigaremus eas.

Calendis Martij Sole oriene, ſe obtulerunt oculis noſtris Inſulæ *Iohannis Fernando* è prora, Boream verſus: Auſter flabat, ſed moderate, cœlo ſereno. Hora prandij acceſſimus illas, Elevabatur Polus triginta tres gradus, additis quadraginta octo minutis. Hæ Inſulæ Martius.

duæ

1616. Martius. duæ ſunt numero, montoſæ, minima in Occidentem vergit, planè eſt ſterilis, nihil habens quam nudos montes, & rupes, ſed maxima in Orientem ſpectans, montibus redundat & arboribus, grata ob fertilitatem, pecoribus ſcatens, maximè porcis & hircis. ad oram ipſam ineffabilis eſt piſcium copia, ut Hiſpani ſæpe eo piſcatum navigent, & prædam in *Peru* deferant.

Legebamus Occidentale latus harum inſularum, in quo valdè à nobis peccabatur, præſtitiſſet legiſſe Orientalem oram, ad ſtationem veram navium, quæ ſita eſt eo loci in maxima Inſula; Error in eo erat, cum Occidentale promontorium ſuperaſſemus, legebamus illud latus, quod Septentrionem ſpectabat, ibi propter altitudinem montium hærebamus, ſine ullo progreſſu, nec licebat propius ad terram navigare, ut anchora demitteretur. mittitur igitur ſcapha ad littus, ut certior eſſet de natura loci, circiter veſperam redit, nunciat ſe bolidem ejeciſſe ad quadraginta, & triginta ulnas, vado arenoſo ſub ipſum littus, & paulatim aſcendendo ad ulnas tres, loco anchoris commodiſſimo, juxta vallem arboribus floridis virentem, jucundam viſu, ſed brevitate temporis terram non conſcenderant ſocij, addebant & illud, ſe vidiſſe quamplurimis locis magna copia à ſummitatibus montium defluentem aquam recentem, & limpidam, etiam hircorum greges, armentaque multa in ſcopulis, quæ propter diſtantiam loci cognoſci non potuerunt; brevi etiam temporis ſpatio cum piſcationi ſe dediſſent, immenſam piſcium copiam ceperant; vix hamus in aquam erat demiſſus, quin ſtatim piſcem reducebat, ita ut hoc unum agerent, hamum à piſcibus liberare, & rurſum in aquam demittere, incidebant maximè in piſces *Crocobado*, dictos, & *Bremas* marinas; viderant

etiam exercitum Luporum marinorum. Hoc Evangelium animum addidit omnibus ſocijs navalibus, præſertim ſcorbuto laborantibus, ſperabant enim plenam refectionem, & integram corporis valetudinem. De nocte ſerenitas grata erat, ita ut æſtu maris longè a ſcopo noſtro ferremur. 1616. Martius.

Die 2 Manè navi noſtra iterum provecti eramus propè ad terram, ſed eò nunquam perductum fuit (licet velis omnibus, & viribus conaremur) ut vadum attingere potuerimus; Iterum nonnullos in Inſulam mittebamus, aliquos piſcatum, quoſdam quæſitum armenta; occurrebant quidem eorum oculis eximij Porci, Hirci, aliaque animalia quamplurima; ſed ob difficilem & incultam ſylvam, non licuit ea aſſequi, multo minus prehendere. Dum nonnulli de aqua ſibi proſpiciebant, illi qui in Scapha hærebant, duo vaſa integra piſcibus replerant, hamo tantum deceptis. Piſcatura abſoluta coacti fuimus fortunatam & pulchram hanc Inſulam deſerere, tam exiguo commodo, & ſolatio.

Die 3 Sole orto, abducti eramus æſtu maris ab Inſulis hiſce quatuor miliaria, licet totum diem civilem hoc unum egeramus ut eas navigando ſuperaremus, quod cum fieri non poſſet, cæpit nos tædium tanti laboris ſine præmio; quare conſenſu Senatus Nautici concluſum, deſerere Inſulas, & iter ſuſceptum abſolvere; cum ſingulis diebus Æolus nobis favebat, cujus favorem videbamur negligere: quod & factum eſt, eheu, magno cum faſtidio, & moleſtia malè habentium, videbantur ſimul jam & valetudinis, & vitæ dulciſſimæ omnem ſpem amiſiſſe; ſed providit Dominus Deus, qui ſperantes in eum, non deſerit. Altitudo erat Poli triginta trium graduum, quadraginta minutorum.

1616. Martius. Senatu dimiſſo iter noſtrum in nomine Domini recta Hyperargeſten verſus dirigitur, Æolo flante à Meridie, at felici progreſſu.

Die 11. Secundò Tropicum Capricorni ſuperavimus, vento Vulturno flante, curſus erat noſter in Phœnicem; ibique nacti ſumus generalem ventum ab oriente flantem, cui ſuccedebat Eurus, quare & nos eadem via progreſſi ſumus, uſque ad decimumquintum, ſub gradibus octodecim, tum mutavimus præcedentem progreſſum, in Occidentem; etiam eo die compegimus ſcapham noſtram actuariam, quam diſſolutam in ventre navis ſepoſueramus, ut nobis poſſit eſſe uſui, ſi fortè oculis noſtris ſe offerrent aliquæ Inſulæ.

Die 17 Poli erat altitudo novemdecim graduum, curſus noſter erat in Corum.

Die 20 Elevatio erat poli ſeptemdecim graduum, fluctuum etiam altitudo vehemens à Meridie, ventus ſtationem non mutarat, ſed navigabamus nos in Corũ. Acus nautica deflectebat in Septentrionem tractum unũ. Quotidie ſe offerebant nobis Glaucia multa, aliaq; avium genera. Hæc Glaucia aves ſunt corpore quidem toto albæ, ſed roſtris rubeis, & capitibus rubicundis, caudas habent albas, bifidas, longitudine duorum pedum & ſemi; Experientia omnium conſtat eas toto orbe inveniri, magnitudine Lari marini.

Die 24, Erat nobis poli elevatio quindecim graduũ, tenditur à Rectoribus in Occidentem, quotidie fluctus erãt petulantes à Meridie, licet nos aſſiduo agitabat Eurus, quare & noſter progreſſus erat celer, & continuus.

Aprilis. Die 3 Aprilis, Ipſo Paſchatis feſto, poli erat elevatio quindecim graduum, duodecim minutorum; nullus erat deflexus, ſed acus nautica rectà in Septentrionem, & Meridiem

ridiem ducebat. Scorbutus morbus cæperat invadere corpora civium noſtrorum, ita ut plus minus quadraginta ſex lecto affixi, decumberent. 1616. Aprilis.

Die 9, Fatis ceſſit *Iohannes Cornelij Schouten*, qui erat Nauclerus Liburnicæ, & frater Navarchi noſtri *Guiliel-mi Schoutē*, cū menſem totū morbo peſsimo laboraſſet.

Die 10 Sole orto, abſolutis precibus, funus præparatur, & paulo poſt in mari ſepelitur: jentaculo abſoluto apparebat nobis terra, Caurum verſus, & Meſotrachiam, diſtabat vero a navi noſtra trium fere miliarium ſpatio, erat Inſula plana, non magna. Apparebant etiam greges Larorum marinorum, nec piſcium erat inopia, curſus verſus inſulam dirigitur, ſperantes animum ſimul & corpus reficere, præſertim cum frequentes morbi in ſocios graſſarentur. Sub prandium ad terram acceſſimus, bolis ejicitur, ſed vadum attingere non valuit; qua de cauſa ſtatim Scapha demittitur, ut tentaret num vadum propius ad terram deprehenderet, redit, nunciat vadum deprehenſum ad ulnas viginti quinque, diſſitum à terra, ad tormenti minoris jactum unum, addebant & illud ſocij ſibi viſos hinnulos marinos (nobis *Halē* dictos) & piſcium optimorum copiam, quales ſeſe nobis obtulerant in Inſulis *Iohannis Fernando* ſed unum oberat, nō licebat nobis propius ad littus accedere, propter periculum, quod ex tempeſtatibus poſſet evenire. Circiter horam prandij (Scapha iterum in terram properabat, ut ſibi de non nullis proſpiceret, ſi fieri poſſet, ſed cum propè accederet, non auſa fuit appellere propter vehementem maris æſtum, quare ſocij ſe mari commiſerunt, natantes mutuo trahebant ſe in terram, Scapham harpagini committentes. Sub veſperam redeunt ad nos, ſed nihil profectum eſt ab ipſis, niſi quod herbam viridem adferebant perſimilem Naſturtio no-

 ſtrati,


1616. Aprilis. ſtrati. Viderant canes tres, ſed non latrantes, imo ne ſonitum quidem edentes: aquæ erat maxima caritas, nam lacunulas tantum videbant aqua repletas ex pluvia hodierna. Inſula hæc videbatur ab æſtu prorſus mari tegi, & cingulo quodam loco aggeris, arboribus virentibus cingi, amænum profecto viſu; in medio vero, & alijs nonnullis locis aqua ſalſa erat repleta.

Situs hujus Inſulæ eſt ſub altitudine quindecim graduum, duodecim minutorum: à regionibus vero Peruvianis diſtat ut conijciebamus, nongenta viginti quinq; miliaria, Totum diem civilem ventus flabat à Septentrione, nos vero ibamus rectà in Iuſulas Salomonis: Hanc vero Inſulam communi conſenſu appellabamus (*het Honden Eylandt*) *Canum Inſulam*. De nocte ventus invaluit, cum imbre tempeſtuoſo, ita ut maximum noſtrum velum, ex ſinu ſuo, vi venti divelleretur.

Die 14 Ventus flabat ab Oriente, cui ſucceſſit Eurus, at iter in Occidentem vergebat, hinc in Meſargeſten, vis venti eadem, & cœli ſtatus non mutabatur. Copia piſcium & avium à nobis viſa eſt, poſt prandium vero, nova nobis ſe obtulit Inſula, ſed plana, tendens in Caurum nobis longè aſpicientibus, erat valde magna; ſitus erat in Arctapelioten, & Africum; hinc gaviſi ſunt omnes ſocij, ſpe aquæ, & refectionis, rectà eo tendentes, iter dirigebatur in Caurum.

Circiter veſperam, cum à terra diſſiti eſſemus unum miliare, obviam novis venit *Canoa*, quæ quatuor Indos habebat, planè nudos, & rubei coloris, ornatos longis, & nigris capillis. Hi non ſtatim ad navem noſtram acceſſerunt, ſed eminus vocabant, & alliciebant nos, ut littus peteremus, ſed illi nos non poterant intelligere, neque nos illos, licet eos compellaremus lingua Hiſpa-

nica,


Caarte vande Zuijdzee, vertonende wat wech Willem Schouten door de zelve gezeijlt, en wat landen en eijlanden bij hem aldaer gevonden zijn
Deſcription de la grande Mer de Sud, monſtrant par quel chemin Guillaume Schouten eſt navige, et quelles iſles et terres par luy ſont deſcouvertes en icelle
Tabula Hydrographica Maris Auſtralis vulgo del Zur, ductum navigationis Wilhelmi Schouten et terras ac inſulas ab eo ibiden detectas demonſtrans
Linea Æquinoctialis
Tropicus Capricorni
Scala Latitudinis
Moluccæ
Ternate
Willem Schouten Eylandt
I. Gilolo
Nova Guinea
Burro
Amboina
Banda
S. Jans Eylant
Groene Eylanden
Willem Schoutens Wech
Hoornſe Eylanden
Cocos Eylandt
Eylant van goede hope
Verraders Eylant
Waterlandt
Vliegen Eylandt
Eylant ſonder grondt
Honden Eylant
Trac ou chemin de Guillaume Schouten
I. Galopeges
La Puna
C. Blanco
P. del Laguia
Truxillo
Ganape
Callo de Lima
Lima al Cidad de los Reyes
La Naſca
Arequipa
Arica
PERU
Mor Moreno
S. Philippe
Copiapo
La Servana
Eylanden van Jan Fernando
La Conception
Arauco
Tucapel
La Mocha
Baldivia
CHILI
I. Chilve
Navigationis Wilhelmi Schouten ductus
Porto deſire
Fretum Magellanicum
C. Virgine
Strate van le Maire
Staten landt
Mauritius
Eylanden van Barnevelt
R. S. Ian

nica, Maleia,Iavanica, & Belgica. Sole occidente prope terram acceſſimus,ſed vadum attingi non potuit bolide,nec mutabatur aquæ color licet non longè à terra navigaremus, ita ut & jactu tormenti minoris contingi poſſet,quare nos iterum mari commiſimus, & Canoa Indorum terram petebat, quam totus Incolarum exercitus in littore exſpectabat. Paulo poſt altera Canoa à littore navem noſtram appellere nõ auſa fuit, Indi quidem alta voce nos compellabant, reſpõdetur à noſtris, ſed illi à nobis,nos ab illis intelligi non potuimus. Eorũ Canoa aquis obruebatur, ſed illi ſubito eam erigebant nobis adſpicientibus, omneſq; feſtinanter navigiolum ſuum conſcenderant; monſtrabant nobis ut propius ad terram navigaremus, nos vero illos invitabamus,ut ad nos accederent, illi renuebant: quare nos rectà iter noſtrum inſtituebamus,Inſulas deſerẽtes, in Meridiem, deflectendo hinc paulatim in Circium, ut terram non contingeremus. Hæc Inſula non eſt lata, ſed in longitudinem extenſa,florentibus arboribus amæna, ut nobis videbatur,erant Palmitæ & Cocos. Sita eſt ſub altitudine Poli,quindecim graduum, quindecim minutorum, littus refulget arena ſubalbida. De nocte, crebri ignes in ipſa Inſula à vigilibus noſtris conſpecti. 1616. Aprilis.

Die 15 Manè, cum tota nocte fere decem miliaria navigando progreſſi eramus, in Circium, circiter Inſulam ferebamur, ibi à nobis nudi homines conſpiciebãtur quamplurimi, in littore, vociferantes, altaque voce (ut videbatur) nos invitantes, ut terræ nos committeremus. Sed illi aventes nos convenire, Canoam demiſerunt cum tribus Incolis, qui eodem modo vociferantes, non auſi fuere navi noſtræ ſe committere, ſed Scaphæ,quæ Inſulam viſitarat, cui ſe adjungebant,quos

 noſtri

1616. Aprilis. noſtri familiariter exceperunt, dono dantes aliquot Corallia, & cultellos, loquebantur quidem cum ſocijs, ſed oratio eorum non poterat intelligi. Colloquio iſto cum noſtris in Scapha abſoluto, relinquebant eos, & ad nos remigabant, imo ita prope ad nos accedebant, ut eis funiculum donaremus, quem libenter acceperunt, ſed conſcendere Navem non audebant, at tuto Scaphæ ſe committebant noſtræ ab Inſula eorum reduci, re infecta. Tandem cum dudum navigio noſtro adhæſiſſent, ecce, audaculus quidam Pergulam conſcendit, & clavos feneſtris cubilibus nauticis affixos vi eduxit (ſpectante Archiceleuſte, cum Navarcho) eoſque abſcondidit capillo criſpo. Videbantur avidi eſſe ferri, imo hi violentas manus injiciebant clathris ferreis, ut ea extraherent, ſed in opinionibus ſuis decepti, clavos iſtos relinquebant. Animus noſter erat aliquem ex Incolis detinere apud nos, & obſidis loco aliquem ex noſtris mittere ad illos Canoa ipſorum, ut ſic eorum familiaritatem nobis conciliaremus, ſed detrectarunt. Erant Incolæ hujus Inſulæ valde furto addicti, ſine ullis veſtibus, tantum linteola tegebat verenda, ſed ſtoreaceum Cutis eorum erat picta varijs figuris, ut ſerpentibus, Draconibus, & alijs ejuſmodi animalibus coloris cærulei, quaſi pulvere tormentario notati eſſent. Propinabamus ipſis in Canoa ſedentibus hauſtum vini, ſed ſcyphum reſtituere non voluerunt. Hinc noſtra Scapha, iterum in Inſulam demiſſa, comitata octo ſocijs, tormẽtis minoribus armatis, & ſex gladijs minoribus, ſed ancipitibus. Noſter Celeuſtes Nicoleos Iohannis, & Archiceleuſtes Liburnicæ, Andreas Nicolai, comites erant, ut inquirerent, num quid in Inſula eſſet, quod uſui eſſe, poſſit; etiam, ſi fieri poſſit, amicitiam eorum ſibi conciliarent, ſed contrà evenit. nam cum noſtri littori

tori ſe committebant,& per æſtum maris terram aſcen- 1616. Aprilis.
derent,ecce, triginta Indi Clavis nodoſis armati ex ſylva prorumpentes, noſtros adoriuntur,ut armis eos privarent & Scapham in ſiccum pertraherent: etiam duos e ſocijs ex Scapha extrahebant, uti in ſylvam abducerent, ſed ſclopetarij quibus ſclopi majores erant ſicci, ter exonerabant ſclopos in exercitum iſtum, ita ut noſtri non dubitarent,aut certò aſtruerent nonnullos Incolarum aut vehementer ſauciatos,aut interfectos eſſe. Armati etiam nonnulli erant longis ſtipitibus, aut ramoſis fuſtibus, qui judicio noſtro erant gladij, Xiphiæ piſcis. etiam jaciebant fundis Balearibus, ſed neminem ex ſocijs lædebant, gratia Dei,cui laus & gloria in ſeculum. Arcubaliſtæ nullæ ipſis erant,quantum nos potuimus judicare. Oculis noſtris ſe offerebant mulieres nonnullæ, quæ maritos amplectentes circum colla, eiulabantur, cauſam vero harum actionum ignorabamus, hanc vero nos conijciebamus, ut eos in ſylvam revocarent, extra periculum præſens, & conventum ſegregarent. Huic Inſulæ impoſitum eſt nomen (quia vadum numquam licuit nobis contingere ut anchora demitteretur, *het Eylandt ſonder grondt.)id eſt fundo carens*, ad latus exterius,exilis erat regionis tractus,Palmitibus conſitus,ſed interior,aqua ſalſa abundabat. Cum vero ex infelici omnium rerum ſucceſſu apparebat nihil hic nobis ſupereſſe, concluſum inter nos eſt inſulam hanc relinquere, quare deflexiмus ad mare in Occidentem, Æolus flabat ab Oriente.Mirum quam fluctus hic erant compoſiti, ut ſuperioribus diebus à Meridie. hinc ſuſpicabamur nos non longè abeſſe à terra, à parte Meridionali. Sita erat hæc inſula ad altitudinem quindecim graduum, diſſita ab Inſula Canum centum miliaria.

Dic

1616. Aprilis. Die 16 In Aurora,altera nobis apparuit Inſula,diſſita à nobis in Septentrionem,ferebamur in illam, quam cum acceſſimus deprehendimus ut & primam,ſine vado,interiorem regionem videbamus plane aquis abſorptam, at in margine arboribus denſam, exulabant hic Palmitæ, & Cocos. Noſtra Scapha demittitur explorandi gratia,quæ cum littus accederet,ſine vado deprehendit, quare ſubito ad nos redijt re plane infecta, nec quidquam de incolis renunciabant, cum eos non vidiſſent. Poſteà ſecundò emittitur, num poſſit conſequi aquam recentem,aut fructus,reficiendi gratia, redit, nunciat viſam aquam recentem non longe à littore, in puteo,aut foſſa, quæ facilè vaſculis noſtris minoribus ad littus poterat deferri,ſed in navem nō ita commode, Scapha enim propter æſtum maris continuum harpagini credebatur, & focij funibus ſe mutuo per undas ad littus, & rurſum a littore ad Scapham trahebant; ita ut valde periculoſum & moleſtum erat littus petere; quare & quatuor tantum vaſcula aquis repleta, ad navem delata ſunt. Inventa eſt & talis herba, qualis in Inſula Canum, ſaporem referens Naſturtij; integer ſaccus iſta repletus à ſocijs ad nos adfertur, cum nonnullis Cancris, etiam Conchæ, cum cornibus, in quibus Limaces erant optimi ſaporis. Sub veſperam navigabatur in occidentem, ventus flabat ab Oriente: Totum diem civilem fruebamur moderato vento, cælo pluvioſo, unda non laſciviente. iſto die Poli erat elevatio quatuordecim graduum, quadraginta ſex minutorum. Hæc inſula eſt diſſita à præcedenti quindecim miliaria. Dictaque fuit à nobis (*Waterlandt*) *Waterlandia*,quod ibi aquam nacti eramus.

Die 17 Propinabantur noſtris ſex chopinæ aquæ & magnum

magnum ahenum, herba iſta; quam in Waterlandia carpſeramus repletum, igni commiſimus, ut ex ea omnibus ſocijs navalibus olus coquus conficeret. Videtur iſtud Naſturtium, ita præparatum & in Scorbuto exhibitum, maximè prodeſſe eo morbo laborantibus, quod noſtris omnibus contigit. Experientia enim docet, & ſtultorum eſt magiſtra. *1616. Aprilis.*

Die 18 Sole oriente, ſub jentaculum, nova iterum nobis apparuit Inſula, in Africum ſpectantibus, vergens in Corum, & Eurum, quantum licuit nobis oculorum proſpectu judicare, diſtabat à ſuperiori Inſula viginti milliaria parva. Rector navis eò curſum direxit, cum attigiſſemus, ſcapha noſtra littus ambebat, ut vadum tentaret, redit, narrat deprehenſum ad promontorium quoddam, à quo ſe pulvinus extendebat, cum altitudine viginti, viginti quinque, & quadraginta ulnarum, ſed erat præceps, diſtabat ab Inſula jactum unum tormenti minoris qua de cauſa nos Scapham vacuis vaſculis onuſtam, in Inſulam mittimus, ſperantes à recenti fonte haurire aquas. Cum pœnè prope acceſſiſſent, relinquebant navigiolum harpagini extra maris laſciviam, & ſocij ſeſe mutuo in littus funibus trahebant, per fluctus nimium laſcivientes; ſylvam perambulantes, ut aquas recentes quærerent, ecce, occurrit ipſis homo quidam ſylveſter, qui ut judicabant armatus erat arcu, ipſi vero cum de armis non cogitaſſent, fugiunt, re infecta ad nos timidi redeunt, & periculum metuentes. Cum non longè à littore navigaſſent, ecce, ſtatim quinque aut ſex homines Incolæ agreſtes, in littore ſe offerunt, qui cum viderent noſtros diſcedere, in ſylva ſe condunt. Virentibus arboribus videbatur hæc Inſula abundare, & in interiore parte aqua etiam ſalſa. Socij quum na-

1616. Aprilis. vem conſcendiſſent muſcis erant tecti, ita ut nihil ex veſtibus potuit dignoſci: Eorum facies, manus, navigiola, & remi ex aqua propendentes muſcis erant conſiti nigrioribus mirabile viſu. Tantum, exercitum muſcarum cum nobis adduxiſſent, à nobis reijcere non potuimus; nos continuo invadebant, totum corpus, & faciem tegebant etiam, ita ut nullus locus ſupererat quo nos abſconderemus nos, ita ut & in prandio, & cœna, eſſent nobis adſeſſores perpetui. Defricabamus facies noſtras, & manus lavabamus, ex corio ferulas conficiebamus, dabamus morti totas acies, biduum ta triduum nihil fere proficitur, moleſtum profecto: tandem nobis ſuccurrit aura quædam vehementior, quæ nos quarto die planè a Comitibus iſtis contumacibus liberavit. Datum eſt huic Inſulæ nomen, *het Vlieghen Eylandt*, quod latine ſonat *Muſcarum Inſula*, ab eaque deflexim us viam noſtram, totum diem civilem nos affligebat pluvia continua, ut & ſequentibus, quæ etiam aliquo modo profuit, collegimus enim maximam aquæ pluvialis quantitatem, mediantibus pannis, & velis expanſis; de nocte ſiſtebamus vehementiam itineris, ut leviter tantum fluitaret navis, ne in tenebris in iſtas Inſulas aquis pœnè tectas, cum periculo præſentiſſimo Naufragij incideremus.

Die 23, Altitudo nobis Poli erat quindecim graduum, quatuor minutorum, tum temporis Neptunus erat laſcivior ſolito, vento Meridionali impulſore, nec ſequentibus diebus deſiſtebat, hinc flabat Arctapeliotes, cui ſuccedebat Subſolanus, illi Hypereurus. Narrabatur à ſocijs Terram Auſtralem, quam tantopere deſiderabamus, a nobis adhuc abeſſe ducenta quinquaginta miliaria, ſi recto tramite nobis ire liceret.

Die

Die 25 Aqua pluviali replebant ſocij vaſcula quatuor, non deſiſtebat Neptunus laſcivire, eodem vento impellente, ut in mari Hiſpanico plerumque laſcivit, *Cauro* impellente. 1616, Aprilis.

Die 3 Maji, Flabat continuus Eurus, Rectore dirigente nos in Occidentem. In prandio Poli erat altitudo quindecim graduum, trium minutorum. Eo die conſpecti à nobis quamplurimi *Dorados* piſces, ita à colore dicti: qui primi erant, à nobis in mari Auſtrali conſpecti. Majus,

Die 9 Elevatio erat Poli quindecim graduum, viginti minutorum, diſtabamus ut conijciebamus ab oris *Peru*, & *Chili*, mille quingenta & decem miliaria. Meridie, poſt prandium apparebat nobis *Velum*, quod iudicabamus eſſe navigioli Actuarij, navigans à Meridie, dirigebat iter in Septentrionem, nos ſuperans. Statim nos illud petebamus, cum vero propius acceſſimus, ſolvebamus tormentum bellicum à latere dextro navis, ante proram eorum ferebatur, quo monebãtur ut velum demitterent, ſed recuſarunt, quare & ictus iteratur, nihilominus non deſtiterunt ab itinere; quare Scapha noſtra, decem Sclopetarijs onuſta, in mare demittitur, ut eos convenirent; Remigant pro viribus ad illos, ferentarius unus exploſit adhuc ſemel ſclopum majorem, (quo monebantur, ne ſe fugæ committerent) non profectò eo fine ut ab eo læderentur, nihilominus non mutabant ſententiam, imo tanto magis fugiebant, ut nos ſuperarent velificando, ſed Scapha noſtra remigando eos facile ſuperavit, cùm vero non longè ab eis diſtabamus, quater in illos (ut vela demitterent) exploſimus ſclopos noſtros majores; cum propius accederemus, antequam nos eorum navigiolum conſcen-

1616.
Majus.

deramus, nonnulli viri terrore impulſi mari ſe committebant. Inter cæteros quidam onuſtus puerulo quodam, & alius ſauciatus tribus in dorſo vulneribus, ſed non altis, quia à latere inflicta erant, à nobis ſervabantur ne ita temere perirent. Magnam mercium copiam eijciebant in mare, & maximè Storeolas, inter cæteras tres Gallinas. Noſtri navigiolum aſcendunt, armis nullis reſiſtitur ab ipſis, quia ipſis deerant. Cumq; illud ad nos adduxiſſent, duos adhuc in navigiolo latitantes eduximus, qui ſtatim pedes noſtros cernui deoſculabãtur, & manus. Alter ſenex erat pœnè decrepitus, cui canities honeſtatem addebat, Alter adoleſcens, ſed lingua utebantur planè peregrina, at liberaliter eos in Navi noſtra excepimus. Statim Scapha noſtra ſollicita de reliquis qui ſe mari immiſerant ne perirent. (Natura enim nos Batavi Miſericordes ſumus) navigabat ad illos, ſed tantum duo reſtabãt, qui ſe remis crediderant, noſtris monſtrantes vadum, quaſi dicerent, reliquos ſubmerſos eſſe. Alter qui ſauciatus erat, cujus etiam vulnera refecimus; alebat croceos capillos longos. Eorum navigiolum habebat adhuc octo fœminas, cum tribus infantulis adhuc lactentibus, etiam pueros qui jam annum nonum & decimum agebant: ita ut noſtro judicio fuerant viginti quinque numero: plane nudi incedebant viri, ut & mulieres, tectis tantum verendis. Sub veſperam Viros iſtos navigiolo actuario imponebamus, qui fœminis ſuis erant accepti, oſculiſque blandis accipiebantur reduces ſalvi. Dono etiam à nobis quodam donati ſunt ſcilicet Corallijs (quæ collis uxorum appendebant) & nonnullis cultellis, ut honorificè à nobis excepti fuerint, illi vero, dono dantes duas artificioſe contextas Storeolas, & duos *Cocos*, gratos ſe

eſſe



eſſe oſtendebant, maximè cum ipſis vix ſupereſſent, ad cibum & potum neceſſaria, ita ut & jam aquam ex nucibus ebiberant, & potus deeſſet. Teſtis erat eorum potatio aſsidua aquæ ſalſæ ex mari, imo & infantibus & pueris propinabant, quod judicabamus naturam abhorrere. Tegumentis variegatis tegebant verenda ſua, contra æſtum Solis. Erant homines rubei coloris, qui ſe oleo ungebant, imo & mulieribus capilli erant abraſi, ut viris Hollandis omnibus, virorum vero alebatur, & coloribus tingebatur maximè nigris. Formula Navigiolij actuarij erat talis, qualis in Tabella iſta præmiſſa exhibetur, ſed nobis admirabilis, combinatum ex duabus *Canois* longis, ut & ſpatium quoddam inter utramque ſupereſſet; in quaque *Canoa* media, extenſa erant binæ tabulæ latæ, ex optimo ligno rubeo, ut aquam marinam arcerent quibus alias tabulas ab una in alteram *Canoam* connexas ſuperinjecerant, ita tamen ut proræ, & puppes *Canoarum* prominerent, nec aquam ullam admitterent propter arctam compaginem. In Vna à dextris poſitum erat malum, ad proram, furcæ inhærens, cui Epidromus, (noſtra lingua *de Beſaen*) cum virga erat impoſitus. Velum ex ſtoreis, ferebantur pro libidine venti, deerant ipſis omnia inſtrumenta nautica, navigationi idonea, imo & Index magneticus: ſed hamos habebant, piſcationi idoneos, quorum pars ſuperior ex lapide, inferior ex oſſe nigro, aut teſtudinis operimento: nonnulli hami erant ex cochlea margaritifera: eorum rudentes erant venuſtè complicati, & craſsi, ut funes noſtri nautici, ex eadem materia, qua in Hiſpania fiunt ſportæ ficuum. Cum á nobis diſcederent, iter dirigebant in Vulturnum. 1616. Majus.

Die 10 Ventus flabat Euronotus, cui ſuccedebat

 Hyper-

1616. Majus. Hypercuronotus. Iter erat Occidentem verſus, & in Africum: ſummo manè poſt jentaculum, conſpicitur à ſiniſtra, terra montoſa, & cœrulea, diſsita à nobis Hyperlibonoton verſus, pænè octo miliaria, quò ſtatim navigatur, ſed totum diem in eo occupati eramus, vento ſatis fervido, ut eam appelleremus, at non ſucceſsit labor omnis ex ſententia, quare de nocte, circum circa navigabatur, ſub veſperam à noſtris conſpiciebatur velum, longè à ſiniſtra terræ, paulo poſt & aliud apparet, eodem pœnè loco, ſed conijcebamus nos, eſſe Piſcatores, cum ſæpe mutabant itinera ſua, huc illuc navigando; de nocte indicia igne faciebant, & ſe conjungebant.

Die 11 Mane, Sole orto, Inſulam appulimus, montoſam, apparebat eodem momento alia quædam Inſula, longa, minimè montoſa, à parte Meridionali: dum Aurora vigebat, tranſnavigavimus pulvinum, quatuordecim ulnarum profunditatem habentem, ſaxeo vado, diſsitum à terra duo miliaria, cum illum ſuperaveramus, bolide vadum attingi non potuit.

Alterum ex navigiolis iſtis, iter ſuum ad nos direxit, nos vexillum triremis demittebamus à puppi ut fluitaret, & eos alliceremus, ſi palmis comprehendiſſent, ſed non valebant comprehendere, quare quidam eorum ſe mari commiſit, & vexillum iſtud apprehendit, diſſolvit, ſed reſti annectunt duos *Cocos*, & tres aut quatuor piſces volatiles, alta voce quidem nos compellantes, ſed nos eorum mentem non capiebamus, conijciebant noſtri, illos velle, ut nos funem retraheremus, & munus videremus. Forma navigiorum talis, qualis ante dicta, & deſcripta, navigationibus accommodatiſsima, imo tanta vehementia feruntur, ut paucæ naves noſtrates

eas

eas ſuperarent. Gubernant in puppi duobus remis, in unaquaque *Canoa* Rector ſtat navem regens, nonnunquam etiam fugiunt ad proram cum curſum mutant, aliquando per ſe hoc fit, ſi modo remos ex aqua educant, & liberè navem committant vento. Scapha noſtra demittitur, ut vadum tentaretur, narrat deprehenſum ad ulnas quindecim, quatuordecim, & duodecim, vado teſtaceo, à terra bis mille paſſus diſtante, conſultum igitur ibi anchoram ponere; quare & vela noſtra complicabamus. Incolæ cum hæc viderent, nos conabantur avocare à propoſito, monſtrantes ut aliam Inſulam peteremus, nos equidem non mutantes mentem noſtram, anchoram demiſimus, ad finem Inſulæ ad ulnas viginti quinque, vado arenoſo, à terra diſtante plus quam duo millia paſſuum. Hæc Inſula ſuperbit monte alto, quales apparent in Inſulis Moluccis, arboribus abundat, quæ *Cocos* proferunt, quare & nobis *Inſula Cocos* dicta eſt. Altera Inſula longitudine hanc vincit, ſed montibus carens, vergens ab Oriente, in Occidentem. Anchora eiecta, lintres tres nos viſitabant, circum circa navigantes. Poſtea novem aut decem *Canoæ* advolant, tam à terra, quam à Navibus, inter reliquas, duę erant, quæ vexilla pacifica oſtentabant, quod & nos fecimus. Eorum *Canoæ* tribus aut quatuor Viris inſtructæ, proram habent obtuſam, puppim vero acutam, ex ſolidò ligno rubro factæ, quibus vento ipſo leviores, ferebātur, cum vero ad nos acceſſiſſent, ſe fluctibus committebant, natando foros noſtros ut aſcenderent, manus onuſtas habentes nucibus *Cocos* dictis, & radicibus *Vbes*, quas mutabant clavis, & Coralliis, quos ſummopere expetebant, offerebant quatuor aut quinque *Cocos*, pro uno clavo, aut paucis Corallijs, ita ut eo die per mutaſ-

1616. Majus.

1616. Majus. mutaſſemus centum & octoginta nuces *Cocos*. imo tandem tantus numerus Incolarum irruebat in navim noſtram, ut noſtris vix locus ſupereſſet. Mittebatur Scapha in alteram Inſulam, ut inveſtigaret, num tutior iſtic eſſet ſtatio, cum hic aperto mari nos, noſtraque omnia crederemus, ſed cum paululum à nobis receſſiſſet, & terram lamberet, ecce ſtatim à duodecim, aut tredecim *Canois* alterius Inſulæ circumcingitur, & aliæ quamplurimæ inſtabant, quæ videbantur furere furorem maximum; nonnulli erant armati fuſtibus ex ligno duro; ut Aſſagays, ipſa cuſpide acutis, & nonnihil aduſtis. Invadebant noſtros in Scapha, ut eos vi ſuperarent, quare & illi in neceſſaria arma ruebant, & ter in hoſtes ſclopos majores explodebant, quod illi vili pendebant, noſque ſcommate excipiebant ludum puerilem exiſtimantes, ſed tandem quis in pectore læditur, ut in dorſo vulnus appareret; quod cum vidiſſent ſocij adnavigant omnes ut poſſent medicas manus adhibere, & Scapham deſerunt, aliamque *Canoam* petunt, ſocioſque monent ut nos *Canoa* ſua obruerent, ut videbatur, ſed recuſabant alij; quod paulò ante nos in navi conveniſſent, & honorificè à nobis excepti fuiſſent. Hæc Gens maximè erat furto dedita, bolidem qua quotidie utebatur noſter Rector auferunt nobis adſpicientibus, imo omnia quæ videbant ſtudebant furari, & natando fugæ ſe committere, ut & factum eſt a nonnullis, qui cuidam ſocio navali furto ſubduxerant pulvinar, tegmẽ, cum tunica nautica: nonnulli auferebant cultellos, omniaque quæ uſui ipſis videbantur eſſe, quibus ſe mari committebant, & fugiebant enatantes: ita ut de nocte Scapham noſtram ſubduximus, ne abſciſſis retinaculis in manus eorum incideret. Videbantur deſiderio deſiderare fer-

rum,


Cocos Eylandt
Iſle de Cocos
Verraders Eylandt
Iſle des traiſtres

H

ita ut apprehenſis clavorum majorum, & minorum capitibus, conarentur eos educere, ſed nimium cum eſſent adacti, vi non valebant tollere. 1616. Majus.

Incolæ hujus Inſulæ erant viri fortes, figura eximij, magnæ ſtaturæ, ſed planè nudi & inermes, ſolis verendis tectis: Coma ipſis erat variè ornata, nonnullis erat planè abraſa, quibuſdam criſpata decore, aliquibus longi capilli in cincinnos erant reducti, varijs modis, excellebant in natatione. Hæc Inſula *Cocos* ſita eſt ſub altitudine ſexdecim graduum, decem minutorum.

Die 12 Manè, ſumpto jentaculo, iterum nos viſitabant multæ *Canoæ*, adferebant *Cocos*, *Bananas*, radices *Vbas*, & nonnullos Porcellos, etiam nucum putamina aqua recenti plena, eo die commutabamus mille ducẽtos *Cocos*; animæ octoginta quinque erant in Navi noſtra, & portio uniuſcujuſque erant duodecim Nuces. Incolæ ſine ordine ad nos advolabant, quibus non licebat navigiolis ſuis propè accedere, é *Canois* in mare proſiliebant, & mergendo ſe ſub *Canois*, natantes, navem adoriebantur, ut merces ſuas exponerent, & venderent. immenſus adferebatur numerus radicum *Vbas* & *Cocorum*, quos ore geſtabant. Navem poſtea conſcendebant tanta copia, ut fuſtibus arceri debebant. Cum merces ſuas vendidiſſent, in mare ſe præcipitabant è navi proſilientes, & *Canoas* ſuas petebant. Admirabantur magnitudinem, ſimul & compaginem firmam Navis noſtræ, nonnulli deſcendebant ad gubernaculum uſque, aliqui ſub navi ad carinam reptabant, lapidibus pulſantes fundum, ut tentarent duritiem compaginis. Dum hæc geruntur, ecce *Canoa* quædam adnavigabat ab altera Inſula, quæ nobis nigrum Aprum juvenem adferebat, quem Rex dono nobis mittebat, of-

1616. Majus. ferebamus & nos huic legato Regio, noſtra munera, ſed recuſabat, monſtrans ſibi à *Rege* interdictum. Abſoluto prandio ipſe *Rex Canoa* majori nos acceſſit, tali forma, quali antea deſcripta eſt, Similis erat, trahis noſtris glacialibus, & triginta quinque *Canoæ* eum comitabantur. Hic *Rex* à nobilibus ſuis dicebatur *Latou*, à nobis excipiebatur ſonitu tympanorum, & tubarum bellicarum, quem mirabantur, tanquam rem numquam antea viſam aut auditam. Honorificè & amicè, ut apparebat, nos excipiebãt, flectendo caput, verticem pugnis pulſando, & varijs generibus cæremoniarum. Cum paululum à nobis abeſſet, cæpit *Rex* alta voce clamare, & vociferari, quaſi ſuo modo precaretur, quem totus cætus ſtatim imitabatur, nobis ignorantibus, quid ſibi vellent iſtis acclamationibus, ſed judicabamus eos eo pacto gratulari nobis adventum felicem. Paulo poſt *Rex* per tres Legatos nobis honorarium mittit, *Storeolam* quandam, nos non ingrati, remittimus ei ſecurim detritam, nonnulla Corallia, aliquot æruginoſos clavos, & fruſtum panni lintei, quod lubens accepit, ter capiti Regio munus noſtrum imponebat, caput mox reclinans magna reverentia, in ſignum gratitudinis, & obſervantiæ. Incolæ qui navem noſtram conſcenderant, in genua procidebant, oſculantes pedes noſtros, ſed maximè admirabantur navem noſtram. Hic Rex à reliquis Indis internoſci non potuit, totus enim erat nudus, tantũ quod ei obedirent, cum ipſis quid mandabat, apparebat ejus Majeſtas. Invitabamus hunc *Latou*, ut navem noſtram conſcenderet. Filius ipſius aſcendit, & à nobis honorificè excipiebatur, ſed ipſe *Rex*, aut non audebat, aut nolebat nos inviſere, ſed omnes monſtrabant, ut aliam Inſulam adnavigaremus, ibique eſſe omnium rerum

copiam.

copiam. Mutabamus inter cætera, tres hamos ex canna, ut in Hollandia factos, ſed paulò craſſiores, adjunctis anſis ex cochlea-margaritifera. Hic filius *Regis* à nobis demiſſus; conſcendit *Canoam*, quam æquali pondere ſuſtinebat moles lignea à dextris; huic ligno impoſiti erant eorum hami, ut ad piſcationem ſemper eſſent parati. 1616. Majus.

Die 13 Manè, nos adoriuntur quadraginta quinque *Canoæ*, ut nobiſcum mercarentur, quibus adjuncta erat claſſis Navium veliferarum viginti quinque, ea forma qua noſtrates trahæ glaciales. unaquæque habebat viros Martigenas viginti quinque, & *Canoæ* parvæ, quatuor aut quinque: ſed nos nihil mali ſuſpicabamur: negotiationem quidem agebant nobiſcum, permutantes *Cocos*, pro clavis, imo ſimulabant amicitiam firmiſſimã ut poſtea didicimus; quare nos incitabant ut aliam iſtam Inſulam peteremus, eiſque habita eſt fides. Abſoluto jentaculo anchora levatur, navigatio in proximam Inſulam præparatur. Ipſe *Rex* qui pridie nos inviſerat, ſe huic claſſi adjungit comitem, navigio quodam velifero, alta voce exclamant omnes. Invitatur *Rex* à noſtris ut Navem noſtram conſcenderet, ſed recuſabat, quare primum nobis orta ſuſpitio, ne quid mali machinarentur: maximè cum omnia navigia, cum *Canois* adhærebant nobis, & *Rex* ipſe ex navi velifera ſurgens, *Canoam* conſcenderet, & filius proximam; hinc ſtatim tympanum pulſant, quod in navigio Regio erat relictum, & intendunt clamores ſimul, quo ſignificabant noſtro judicio, jam inſtituendam eſſe pugnam, & navem invaderent. O miſeri: quid fit? regia navicula nos adoritur, tanta vi, quaſi nos uno impetu everteret, ſed ſibi ipſi malum peperit. utramque enim proram, in fronte

1616. Majus. eminentem violentia iſta diſſolvit, ita ut illi qui ſe huic *Canoæ* commiſerant (cum nonnullis fœminis) nando ſalutem quærerent: alij lapidibus nonnullis violenter jaciebant, ut nobis timorem incuterent. Sed nos ſclopos majores, & tria tormenta fuſilia (quæ Gotelings dicuntur Belgicè) explodebamus in illos, ſcloporũ ſphæris, & æruginoſis clavis infarcta, quibus extemplo via facta, ut omnes ſe mari commiſerint. Conijciebamus iſta actione nonnullis ereptam fuiſſe occaſionem redeundi domum, quoſdam etiam miſerè ſauciatos, quia vento velociores fugiebant. Videbantur planè ignorare exploſionem tormentorum bellicorum, ſed cum viderent Tragædias iſtas, diſcebant quid eſſet mala fide agere, docti, longius à nobis remigabant extra teli jactum, ne par caſus omnes perderet.

Hiſce omnibus peractis cogitatur ſatis nos hic moratos dudum, itaq; iter inſtituitur in Occidentem, & Hypafricum. Hæc erat noſtra opinio, *Regem* id temporis collegiſſe omnem manum, convenerant enim mille homines, & plures, inter quos quidam nivei coloris. Cum jam navigatum eſſet ab Inſula quatuor miliaria, ex ſocijs nauticis nonnulli petebant, ut flecteremus iter ad Inſulam relictam, & armis ſi fieri poſſet aqua recens reficiendi gratia impetraretur, cujus maxima erat penuria; Sed Navarcho, & Archiceleuſte nõ videbatur conſultum, vi in inſula iſta quid tentare. Priorem iſtam Inſulam monte ornatam; dicebamus, *Cocos Bergh* id eſt, *Montem Cocos*, Alteram vero, miliare unum diſſitam, compellabamus, *Inſulam proditorum*, quod maxima pars proditorũ ex iſta Inſula ad nos devecta fuerat. Verraders Eylandt.

Die 14 Sole orto, alia à noſtris conſpicitur à prora Inſula, à nobis diſſita ſeptem miliaria, videbatur rotunda,

da, diſtabat ab alijs ut conijciebamus triginta miliaria. 1616. Majus.
Dicebatur *het Eylandt van goede Hope*, quod latine ſonat *Inſula bonæ Spei*, ſpe adipiſcendi aquam recentem, & refectionem gratiſſimam: eo curritur, accedimus, bolis eijcitur, vadum non attingitur, dolebamus: hinc Scapha exponitur, ut littus legeret, & vadum tentaret, quod & fit ad jactum ſclopi majoris à terra, ad ulnas quadraginta, vado lapilloſo, nigro, & molli, nonnumquam etiam ad ulnas viginti, & triginta, ſed cum nonnihil ab iſto pulvino diſcederent, vadũ non attingebatur. Ad nos ſtatim properabant decem, aut duodecim *Canoæ*, non permittebatur ut navem aſcenderent, ſed amicè à nobis excipiebantur, & permutabant quatuor piſces volucres, pro faſciculis nonnullis Coralliorum, quos fune laxato demittebamus, illi remunerationem noſtram accipientes, diſſolvebant funiculum, & ſuam alligabant. Interea Scapha noſtra vadum inquirit in littore, quod cum vidiſſent illi, qui in *Kanoa* erant, nos relinquunt, noſtros petunt, accedunt, & cum ijs colloquuntur, ſed cum quatuordecim Canoæ conveniſſent, noſtros circumcingunt, nonnulli hoſtium ſe mari committunt, ut *Scapham* opprimerent, quod cum noſtri adverterent, *Furor Arma Miniſtrat*, & ſclopis majoribus omne negotium tranſigunt (ſex enim ſclopetarij in ſcapha erãt, & reliquis de gladijs minoribus, & haſtis proſpectum erat) duos enim in Canoa ſedentes morti tradunt, quorum alter pronus ſtatim in mare incidebat, alter ſedens, ſanguinem manu abſtergebat, ſed paulo poſt ſocium ſequitur. Hoc ſpectaculo & hi ita territi, ut omnes de fuga cogitarent, qui in Canois fuerant; in littore apparebant etiam quamplurimi vociferantes, & ejulantes. Cumque vadum non erat fidum, *Scapham*

1616. Majus. retraximus ex mari, & perreximus in Africum, ut Meridiem ſuperaremus, & ſpes erat noſtra deprehendere iſtic terram firmam. Etiam æſtus erat ita vehemens, ut non ſatis tutus eſſet acceſſus ad littus: Conſtabat hæc Inſula ex ſolida rupe, in ſummitate virebat, terra erat nigra, arboribus *Cocis* abundans, & herbis virentibus. Ora maritima caſis quamplurimis ſuperbiebat, ita ut pagus maximus nobis videretur, in terra monticuloſa.

Die 15, Abſoluto prandio, altitudo erat Poli ſexdecim graduum, duodecim minutorum, cælo ſereno, vento flante Vulturno, itur in Occidentem, & Hypafricum

Die 17 Flabat Arctapeliotes, ibatur Hypafricum verſus, duobus poſtremis quadrantibus itum eſt in *Corum*, eo die in Senatu nautico ſtatutum eſt, quia cibus cæperat diminui, ut loco ientaculi omnibus ſocijs navalibus, exhiberetur media chopina vini Hiſpanici.

Die 18 Sub altitudine ſex decim graduum, quinque minutorum, venti flabant varij ab Occidente. Eo die Senatus nauticus cogitur, ibique proponitur à Navarcho *Guilielmo Schoutenio*, nos iam in Oriente navigaſſe ſexcenta miliaria, ab oris *Peru* & *Chili*, noſque nihil *Terræ Auſtralis* detegere, ut opinabamur eventurum, neque quod uſui eſſe poſſit quicquã detecturos, imo nos præter inſtitutum ulterius devectos in Occidẽtem, & ſi eo pacto iter noſtrũ dirigeremus, ſine dubio attingeremus tandem partem Meridionalem *Novæ Guinæ*, & ſi in ea parte nullus eſſet tranſitus (quod maxime periculoſum, incertum, imo ab omnibus remotum) actum eſſe de ſalute omnium noſtra, & de Navi, cum ſit impoſsibile inde redire in Orientem, ventis Orientalibus obnixe renitentibus, & aſsiduo flantibus eo loci. Maximè cum annona cœperat deficere, nec ſpes ulla reſtabat compa-

randi

randi alimenta ulla, ideo eſſe conſultum maximè, ut ip- 1616. Majus.
ſo momento curſus mutaretur in Septentrionem, ut ſic pars Septentrionalis *Novæ Guineæ* ſuperaretur, & tandem in *Moluccas* navigaretur; quod cum ab omnibus intellectum, & ſerio penſitatum, compertum non eſſe abſurdum, imo perneceſſarium, communi igitur totius *Senatus* nautici ſuffragio concluditur, dirigendum iter in Septentrionem, ne in Meridionalem oram *Novæ Guineæ*, incertam, ſed Septentrionalem in certam viam deferamur. quod & ſtatim factitatum eſt, & ibatur recta in Phœnicem.

Die 19, Vento flante à meridie, curſu in Septentrionem, circiter primam pomeridianam, apparebant nobis duæ Inſulæ, hypercæciam verſus, diſtantes à nobis fere octo miliaria, inter ſe vero jactum unum tormenti fuſilis, quare & nos in Arctapelioten ibamus, ut promontoria ſuperaremus cœlo ſereno, ventoque moderato.

Die 20 flabat *Boreas*, conabamur omnibus viribus, obliquato curſu terram attingere.

Die 21 Ventus flabat ab *Oriente*, ſed languidè, at cum à terra aberamus unum miliare, viginti Canoæ in nos irruebant continuo, licet à nobis humaniter exciperentur, ſed quidam ex Inſulanis habens ligneam *Aſſagaiam*, cuſpide acuta in manibus, minabatur cuidam ex ſocijs hoſtiliter profectò ſatis, omnibus alta voce adhortantibus; ut reliqui Inſulares, quibus iſtæ vociferationes ſunt ſignum impetus in alios, quare nos defendēdi gratia bis exploſimus tormentum fuſile, & ſæpius ſclopos majores, ita ut duo ſauciarentur, quod cum eorum vidiſſent ſocij, fugam arripiunt, & induſium quod furto ab ipſis ex pergula ſublatum erat, in mare proijciunt. Poſtea commiſſo iſto prælio, audaculi nonnulli

Canois

1616. Majus. *Kanois* ſuis iterum advolabant, nos vero propius ad terram navigantes, cum vadum attingi non poſſet, *Scapha* noſtram demittimus, comitibus octo ſclopetarijs, ut vadum tentarent, ſed irritus omnis labor, recurrunt ad nos, tum ſex aut ſeptem Canoæ adoriuntur Scapham noſtram, tentant invadere, & noſtros armis ſuis privare, quæ cum data ſunt defenſioni, defenderunt ſe ſatis invitè, & ſclopis majoribus exploſis, ſex morti dedere, quamplurimis ſauciatis: videbantur enim ſuccurrere cuidam Canoæ in qua reſtabat unum ſolum cadaver, pedibus propendens, ab Inſularibus vero in mare projiciebatur, quare iſta Canoa à noſtris capta, prædæ fuit, reliquerant in ea clavam nodoſam, & fuſtem oblongum forma haſtæ minoris. De nocte ab exploratione vadorum ſocij redeunt, fundum vero anchoris figendis aptū non deprehenderant, qua de cauſa circum circa ea nocte juxta littus navigabatur.

Die 22 Dabatur ſedula opera, ut velificando Inſula ſuperaretur, quod cum impetratum eſſet, *Scapha* noſtra ad littus mittitur, ut altitudinem tentaret, tentatur ad ulnas quinquaginta, vado teſtaceo, ad jactum tormenti fuſilis à terra, quod paulatim ſicceſſendo, dedit tantum ulnas triginta, nonnunquam triginta quinque, quo loco etiam anchora poſita, vado teſtaceo, donec commodior locus figendi daretur. Navarchus noſter comitibus nonnullis remigibus, cum *Scapha*, & cymba, jubebat ſe deferri ad littus, ut inquireret de commodiori ſede, quam & repperit, non longè à ſede priori, in ſinu quodam, juxta flumen aquæ recentis, quo ſtatim tendebamus, at vento contrario cogebamus ſtatim anchoram ponere, in ipſo ſinu, ad lapidis jactum à littore, intra pulvinum, ad ulnas novem, vado teſtaceo. Ibique

n avis

navis noſtra quatuor retinaculis ligatur; aqua iſtic non ſæviebat, atque illa recens e flumine oppoſito, à montibus defluebat in mare, ita ut ſi ſocij aquam e fluvio depromere vellet, aut in littore neceſſaria quædam expedire, ſub tutela tormentorum bellicorum noſtrorum hoc agerent; ne Incolæ moleſti eſſe poſſint. Eodem die multæ nos adoriebantur Canoæ, quæ *Cocos*, & radices *Vbas* adferebant, inter cæteras, una vivum unum, & aſſatos duos Porcos detulit, quos permutabamus paucis vilioribus cultellis, Corallijs, & clavis. Hæc gens etiam eſt furax, exercita in natationibus, & urinationibus, ut & Inſulares ſuperioris Inſulæ. Caſæ eorum erant littori contiguæ, compactæ ex folijs arborum, forma rotunda, ſed vertice acuminato, ut aquam non admitterent in circuitu habebant latitudinem viginti quinque pedum, altitudinem vero decem aut duodecim pedum; Oſtium erat foramen quoddam quod inclinando intrari poterat; iſtis in domicilijs erant ſparſæ nonnullæ herbæ ut fœnum, quibus videbantur indormire, alibi hamus unus aut alter dependebat anſa attrita, in nonnullis clava nodoſa fulgebat. Hæc erat eorum ſupellex, tam plebei, quam Nobilis, imo & Regis. 1616. Majus.

Die 23. Frequens fiebat commutatio *Cocorum*, & radicum *Vbas*; quos ad nos deferebant Canoæ: eo die in littore convenit totus Incolarum exercitus, qui ex varijs regionibus Inſulæ accurrebant, mirabantur magnitudinem Navis noſtræ.

Die 24 *Arnoldus Nicolai*, & *Regnerus Simonides Snoeck*, Aſſeſſor cum noſtro cuſtode *Caſteriæ* (quem Belgice *de Cajuyt-wachter* dicimus) *Cornelio Schoutenio*, in terram delati ſunt, ut obſides, ut cum Incolis fœdus amicitiæ inirent, qui ſex numero è Nobilibus, in Navi

1616. Majus. noſtra erant, quos amicè excipiebamus, offerendo cibum, potum, etiam nonnulla munera, pari honore & illi nos excipiebant, *Cocos* ſuos, & radices *Vbas* exhibentes, cum aqua recenti. *Rex Inſulæ*, noſtros etiam magnificè tractabat, dono dans quatuor porcellos. Socij vero navales interea de negotio ſuo cogitantes, eo die repleverunt vaſa quinque maxima aqua recenti, annuentibus Incolis, nam cum nonnulli propius ad *Scapham* noſtram accederēt, ipſe Rex accurrebat, ne vim ullam nobis inferrent, aut id negotij famulis ſuis committebat, qui etiam extemplò parebant mandato Regio. Contigit id temporis furto nobis ſublatum fuiſſe gladium minorem, indicabatur Nobilibus, qui mandabant alijs, ut reſtitueretur ſtatim, ipſo momēto qui ſcelus illud commiſerat quæritur, & licet iam longè à littore aufugiſſet, adducitur, & in medium, ſpectaculi & pœnæ loco ſtatuitur. Gladius iſte qui furto abductus erat, ante pedes noſtros reponitur, fur vero fuſtibus contunditur; Nobiles vero digitis monſtrabant, guttur ſtringentes, ſi *Rex* (quem ſua lingua *Herico* dicebant) reſciſceret, capitis ſupplicium ſubiret: poſtea nihil clam abductum fuit, nec in Inſula, aut Navi, aut alio quovis loco imo ne piſcem quidem, qui in manus noſtras inciderat, audebant auferre. Hæc gens valdè terrebatur ſonitu tormenti bellici, nam ſi modo exploderetur ſclopus major, omnes tremuli fugiebant; & timidiores reddebantur eo, cum monſtrabamus nos tormentis bellicis, è latere navis proſpicientibus, quid violenti præſtare poſſe, quod & *Rex* petijt, ut fieret, ſed cum diſploderētur, ita omnes mirabantur, & turbati erant, etiam ipſi *Reges* duo, ſub umbella (quæ eorum lingua *Belay* dicitur) ſedentes, licet antea de inſigni tonitru moniti, & jam perſuaſi, ut

præ

Notatio locorum in Tabula ſubſequenti, ſcilicet, ſtatione Inſulæ *Hornæ*.

A. **De Eendrachts-bay** / *Latine ſinus* Concordiæ, *quo Navis noſtra poſita erat, at munita quatuor anchoris.*

B. *Fluvius nobis oppoſitus qui nobis aquas recentes ſuppeditabat.*

C. *Vmbraculum Regis, illis* Belay *dictum, ſub quo quotidie umbram captabat.*


Hoornſe Eijlandt
Iſle de Hoorn
A
B

præ timore detineri non poſſent, in ſylvam fugiunt, relinquentes noſtros Legatos ſolos. Iſta tempeſtate ceſſante redeunt ad noſtros, ſed metu iſto nondum erant exſoluti. 1616. Majus.

Die 25 Arnoldus Nicolai, Nicolaus Iohannides, Daniel le Maire, iterum ſe terræ committunt, ut Porcos commutarent, ſed Incolæ recuſabant. *Rex* precibus abſolutis (quod conſuerat facere, cum terram conſcenderemus) nos humaniſſime excepit, & nos etiam illum.

Die 26 Archiceleuſtes Iacobus le Maire, & Andreas Nicolai, Inſulam iterum petunt, ſed Porcos impetrare non potuerunt ab Indigenis, cum maxima eſſet eorum penuria, & ijs maximé victitarent, imo pænè nullo alio cibo viverent, quam radicibus *Vbis*, *Cocis*, & paucis porcis, adjunctis nonnullis *Banannis*, quæ ipſis fuere fercula. Legati noſtri erant ipſis valde accepti, & reverentia ſumma colebant eos, nam via, qua incedebant, erat ſtrata Storeis, & Reges duo ipſis donabant ſuas Coronas, quas capitibus ſuis gerebant eaſq; Iacobo le Maire, & Andreæ Nicolai impoſuerunt, regiumque honorem ſortiti ſunt. Illi quia natura liberales erant, eos etiam Reges muneribus donarunt, mercibus ſcilicet vilioris pretij, quibus illi ſummoperè gaudebant. Hæ Coronæ erant confectæ ex longis tenuioribus, albis plumis, quæ ſupra & infra in marginibus ornatæ erant, parvis rubeis & viridibus plumulis, cum multos habeāt Perrequitos, ut & *Columbas* nonnullas, quas magni faciunt, omnes enim qui Regi erant à conſilijs præſeferebant columbam bacillo inſidentem. Hæ *Columbæ* ſuperiori corporis parte, uſque ad alas ſunt albæ, reliqua nigræ, venter vero rubicundis plumis ornatus eſt. Eo die licuit nobis haurire aquam recentem è flumine: &

1616. Majus. commutabamus plurimos *Cocos* & radices *Vbas*.

Die 27, & vigeſimo octavo, Vaſcula omnia noſtra pæne aqua recenti implevimus. Navarchus noſter Guilielmus Schouten, & Andreas Nicolai, Comitibus omnibus Tubicinibus ad Inſulam navigarunt (cum Rex admodum delectaretur Tubarum ſonitu) & vix duos Porcos extorſerunt ab incolis. Rex Inſulæ vicinæ, eo die hunc Regem inviſit, mutuiſque muneribus ex herbis, alijſque rebus viliſſimi pretij oblatis, alter alterum reverenter, varijs Cerimonijs excipiebat: tandem in clamorem incompoſitum quaſi ſummopere lugentium erumpebat Rex iſte benevolus, cauſam hanc judicabamus, quod alterius Inſulæ Rex ſtatuerat Navem noſtram invadere, obſideſque noſtros ibi detinere, quod hic noluit permittere, malè ſibi metuens, & Regno ſuo ita ſplendido.

Filius Regis eodem die Navem noſtram aſcendit, & ſatis magnificè à nobis tractabatur, ſingula quæque admirabatur. Sub veſperam ſocij noſtri cum Inſularibus choreas ducebant, quibus placebat maximè iſta hilaritas, mirabanturque familiaritatem gentis noſtræ, & ſociorum liberalitatem. Tanta nobis erat in Inſula libertas, quaſi in proprijs ædibus verſaremur.

Die 29 Manè, Archiceleuſtes *Iacobus le Maire*, *Andreas Nicolai*, Celeuſtes qui fuit Liburnicæ, & *Nicolaus Ban*, Hypoceleuſtes, & quidam ex Naucleris in Inſulam navigarunt, Regionem obambularunt, monteſq; conſcenderunt, ut viderent quos fructus terra aleret, & conditionem loci inquirerent, inter aſcendendum comitem ſe adjungebat ſenior Rex, cum fratre. Apparebant meræ ſolitudines, & nonnullæ valles, quæ magna plu-

pluvia planè erant nudæ; deprehendebant etiam alicubi Terram rubram, qua fœminæ circum caput & genas linunt. Dum Magnates & Rex adverterent, nobis eſſe moleſtum iter facere pedes per virgulta iſta & alta viarum, reduxerunt nos in planiorem viam ad littus, ubi magna *Cocorum* erat abundantia, in quibus fructus adhuc hærebant, ibi mandabant ut humi ſederemus, ecce, *Rex minor* funiculum quendam pedibus alligavit, & ſubtiliter magna quadam celeritate arborem altam conſcendit, unoque momento detulit nobis decem *Cocos*, atque arte quadam, ligneo tantum inſtrumento adaperuit eos, quod mirum ſpectatoribus omnibus videbatur. Significabant nobis per indicia, ſe nonnumquam bellum gerere, cum vicinis Inſularibus, monſtrabantque nobis antra, & ſpecus in montibus, ex quibus tanquam ex inſidijs hoſtes ſuos adoriebantur. imo videbantur hoc exoptare, ut anchora noſtra ſublata de ferremur ad vicinam Inſulam, ut incolas iſtos, tanquam hoſtes tormentis bellicis expugnaremus, at *Nos* (pro gentis noſtræ æquanimitate) noluimus cuiquam damnum inferre ſine juſta cauſa, & recuſavimus, cum ex commodo noſtro eſſe non poſſet. Circiter Meridiem noſtri ad Navem redeunt, ſecum adducentes Regis filium, cum fratre, ut nobiſcum prandérent; dum prandetur, inter cæteras confabulationes, incidebat ſermo de diſceſſu noſtro poſt biduum, quo nuncio audito junior Rex, ita gaviſus eſt, ut à menſa ſtatim ſurgeret, & ambulacro ſe committens, Nobilibus ſuis præ gaudio alta voce ſignificarit, de diſceſſu noſtro, poſt biduum. Metuebant nos valde, licet amice à nobis tractarentur, vedebantur timere invaſionem

1616. Majus.

 ſionem

1616. Majus. ſionem Inſulæ, ſed mens noſtra non erat. Promittebat nobis, ſi poſt biduum vellemus diſcedere, dono daret nobis decem Porcos, & abundantiam *Cocorum* quos *Ali* dicunt. Prandio abſoluto, ecce, Rex ipſe Navim noſtram inviſit, Homo profectò erat gravis, valens auctoritate & reverentia, agens annum ſexageſimum, comitatus ſexdecim tam Nobilibus, quam Conſiliarijs, ut ſtatus noſter erat, ita magnificè eum excepimus, cum Navem ingrederetur, pronus in faciem cecidit, precabatur, poſtea ducitur à nobis ad interiora, iteravit ibi preces ſuas, mirabatur omnia quæ oculis ipſius occurrebant, at nos ipſius mores. Comites ipſius pedes noſtros manibus ſuis contrectantes, capitibus ſuis imponebant, ut ſignificarent ſe ſubditos noſtros eſſe: duos enim *Batavos* coronarant, ut antè narratum eſt. Rex obambulans circum circa, totam Navim, oberrabat omnia loca, videbatur quaſi ſomnio abreptus quodam, maximè mirabatur immenſitates tormentorum bellicorum, nam ante duos dies audierat ſonitum eorum, ut tonitrua, in ſuum honorem. Cum ex ſententia Rex omnia perluſtraſſet, animus ei erat redeundi domum, itaque magna Reverentia exhibita, honorifice à nobis diſceſſit. Legati noſtri reducunt eum, uſque ad umbellam ſuam (quam *Belay* ea lingua dicunt) ſub qua tanquam in Solio ordinarie ſedebat: eumque iſtic relinquentes cum iuniori Rege inambulabant, circiter veſperam ad nos redibant a legatione magnifica. Poſt cœnam *Andreas Nicolai*, luna iam lucente, cogitat de piſcatione, piſcatur, prædam cum nactus eſſet ſatis amplam, Regem adit, cum reliquis: deprehenderunt iſtic Virgines nonnullas nudas, choreas ducentes in conſpectu Regio, & organon aliquod pulſantes ex ligno excavato, forma

Cana-

Notatio locorum præcipuorum in Tabula in hac ſubſequenti.

A. *Duo Reges mutuo obviam venientes, & varijs cerimonijs utrimque ſalutantes.*

B. *Duo Reges, ſtoreis inſidentes, ſub Vmbraculo, ipſis* Belay *dicto.*

C. *Noſtri Tubicines, & tympaniſtæ, in conſpectu Regum canentes, quo maximè delectabantur.*

D. *Agricolæ, manducantes herbam viridem, dictam ipſis* Kava, *cui mox manducatæ aquam infundunt, & qua potionem faciunt, ſibi pergratam.*

E. *Forma eſt ædium, quas habitant, rotundæ, & in acumen eductæ, folijs arborum tectæ.*

F. *Effigies Regis, habens cincinnum, dependentem à ſiniſtra capitis parte, ultra coxam, nodo uno, aut altero ſubligatum.*

G. G. *Sunt Nobiles, aut Conſiliarij Regis, qui capillos in tres aut plures Tricas collegerant, nonnulli villoſos fecerant, ut ille notatus* H. *alijs erecti erant crines, ut ſetæ porcinæ, excedebantque altitudinem quadrantis ulnæ, ut apparet in eo, qui deſignatur littera* I.

K. *Fœmina hujus Inſulæ, cui crines planè abraſi, uſque ad radicem.*

L. *Arbores Cocorum, qui fructus proferunt Cocos.*


L
L
F
H
E
A
C
B
D
K
I
G

Canalis nautici, quod ſonitum quoddam edebat, ad quem alterno terram pede quatiebant venuſtè, & jucundè, imo artificioſè ad modum cantatricis: ita ut mirarentur, eiuſmodi oblectamenta & artes apud homines plane agreſtes vigere, & reperiri. Iſtis ludicris ſuſpenſi noſtri media de nocte ad nos redeunt, onuſti piſcibus. 1616. Majus.

Die 30 Manè Rex nobis miſit oblatum honorariũ, duos ſcilicet *Porcellos.* Eodem die Rex proximæ Inſulæ, hunc Regem inviſebat, adferés ſexdecim Porcos, & armatam manum trecentorum Virorum, quibus Herbæ virentes circum corpus erant ſuſpenſæ, ex quibus potum conficiebant. Cum alter appropinquaret Regem, cæpit hic varijs cerimonijs, & ſalutationibus, ſe flectere & inclinare, fronte in terram procidens, fundens preces, multis exclamationibus, & ſtrepitu, imo maximo zelo, ut noſtro iudicio apparebat. Alter ei obviam ibat, & is etiam paribus geſtibus, & ſalutationibus hunc excipiebat: poſt multas tandem geſticulationes ſurgunt, & conſederunt pariter ſub Vmbella regia: Nõgenti viri convenerant in hunc locum: cum conſederant, iterum preces fundunt ſolito more, capitibus demiſſis, uſque in terram, plaudentes, quod mirum viſu nobis videbatur. *Andreas Nicolai* Celeuſtes, ante Meridiem ad Inſulam navigarat, poſt Meridiem vero *Iacobus le Maire*, & *Nicolaus Ban* accerſuntur, eunt, adducunt quatuor tubicines unum Tympaniſtam, & Reges accedunt, ſimul tubicine tuba canunt *Taratantara*, & tympanotriba tympanizabat, præſentibus duobus *Regibus*, ſub Vmbella conſidentibus, quò maximè delectabantur. Poſtea nonnulli accurrunt Agricolæ, inhabitatores minimæ Inſulæ, ad Reges, adferentes copiam herbarum

viri-

1616. Majus. viridium, quas *Kava* nominant; videbantur eædem, quas trecenti illi Regij comites circum corpus nexerant, Ecce auſpicantur illi Ruricolæ unanimiter has herbas oribus mandere, ijs communitis, colligebant eas ligneo quodam alveo, quantitate jam magna collecta, aquam admiſcebant; agitatas, & manibus piſtas Regibus offerebant, oblatam hanc potionem Reges cum Nobilibus ebibebant, loco ſympoſij. Hoc *Nectar* ut honorarium offerabatur etiam nobis, ſed recuſabamus; diſplicuerat enim nobis præparatio, magis diſpliceret ſapor. Attulerant etiam Radices *Vbas* toſtas, & ſexdecim *Porcos*, è quibus extraxerant tantum inteſtina, ſanguine non abſterſo, illotiſque injiciunt lapides excalefactos, & leviter ſetas adurunt; ipſis ſunt *Carnes* optimè toſtæ, imo videbantur ipſis facere ad palatum; ita avidè abſumebant eas, ut nos carnes noſtras elixas, aut igne toſtas. Hæc gens maximè venerabatur Magiſtratum ſuum, nam omnem cibum quem *Regi* (qui ipſis *Herieco* dicitur) offerebant, capiti imponebant, hinc in genua proruebant, & ſe ante eum proſternebant. Ex iſtis ſexdecim Porcis duo nobis offerebantur, ab unoquoque *Rege* unus, loco honorarij. Eos ipſi primum capitis ſuis imponebant, hinc genua flectentes, magna reverentia pedibus noſtrorum proponebant, augebant & poſtea munus, addendo undecim vivos Porcellos, nonnullos paulo majores. Nos vero non minori honorario eos donavimus tribus aheneis pelvibus minoribus, cultellis quatuor, duodecim æruginoſis clavis & nonnullis Corallijs, quibus illi ſummopere gaudebant, hunc feſtum diem, & conventum Magnatum noſtri præſentia ſua cohoneſtarunt, non ſine oblectamento, & admiratione; ſub veſperam vero omnes ad nos redibant.

Die

Die 31 Sole orto, *Reges* utriuſque Inſulæ, Navem noſtram conſcendunt, cum omnibus Nobilibus, & Conſiliarijs. Magnates inter eos, colla ſua folijs virentibus *Cocorum* exornarant, in ſignum pacis. Nos magnifice illos (ut illi nos) excepimus, ducebantur in *Caſteriam*, circum circa Navem, ut ſingula perſpicerent, quod cum ſatis ſuperque feciſſent, nobis obtulerunt Porcos ſex, Reges ipſi per vices, ſingulos hoſce capitibus ſuis imponebant, poſtea pedibus noſtris apponebant, magna reverentia, capita inclinantes in terram uſque; Interea Regalia iſta munera auferri iubemus, & rurſum in *Caſteriam* (quam Belgæ *de Kaiuyt* appellant,) ducuntur, ibi liberali manu à nobis donantur, duobus faſciculis Coralliorum: Regibus ſingulis duo cultelli, & ſex Clavi offeruntur: hiſce abſolutis amica quadam ſalutatione diſceſſerunt, in Inſulam navigantes. Archiceleuſtes noſter *Iacobus le Maire*, comitabatur eos in terram uſque, huic tres Porci à Regibus donantur, quos lubens accepit, & ad nos advexit, cum nos præparabamus omnia in diſceſſum, magno cum gaudio Incolarum harum; quia quandiu hic hærebamus, metus ceperat eos, ne à nobis interficerentur, aut Inſula eorum vi à noſtris invaderetur. Hæc *Gens* hujus loci, erat ſagax, magnæ ſtaturæ; Viri enim inter eos mediocris ſtaturæ, pœnè noſtros forma eximios ſuperabant, ſed maximi longè e noſtris eminebant. Valebant hi profectò viribus, forma corporis non improbanda, celeres in curſu, artificioſè natabant, & urinabant. coloris lutei ſubnigri, ſtudioſi & varij in ornatu comarum: Nonnullis erant capilli criſpi, aliquibus villoſi, quibuſdam in cincinnos quatuor, quinque, aut ſex religati, alijs, mirum viſu, Coma erat erecta, uſque ad quadrantem ulnæ, in 1616. Majus.

1616. Majus. modum Setæ porcinæ. Rex ipſe inſignis erat longo Cirro, a ſiniſtra capitis dependente uſque ad coxam, nodo uno aut altero ſuperalligato. Nobiles, Regis exemplo ſuperbiebant duobus cincinnis, ab utraque capitis parte, unus erat: plane nudi incedebāt, Viri ſimul & mulieres, tantum ſtorea quadam verenda tegebant. Fœminæ planè erant deformes, tam facie, quam toto corpore, parvæ ſtaturæ, capillis abraſis; ut viris in Hollandia, longis uberibus dependentibus, ut utres, uſque ad ventrem, valdè impudicæ, Vincula honeſtatis & pudicitiæ ſolvebant præſentibus omnibus, etiam non longè a Rege, ſub ſtorea admittebant quemvis. Eorum Relligio nō apparebat unquam, num Deum, aut Deos ullos colerent: Rex, & populus vivebant incurij, ut feræ in ſylvis. Emptionis aut venditionis nullus apud eos erat uſus, ſed munera nonnulla in nos conferebant & nos in illos; nec ſerebant, nec metebant, imo ne laborabant quidem, terra producit ipſis omnia ad victum & amictum neceſſaria, ut *Cocos, Vbas, Bannannas*, & ſimiles fructus. Æſtu maris relabente, mulieres, quæ & ibi nonnihil ſollicitæ, in locis ſiccioribus ad littus piſciculos quærunt, ſi lubet hamis ſuis inſidiantur, quos crudos comedunt, ut iſtic liceat videre *Auream ætatem*, tantopere à Poëtis decantatam. Diſcedentes eas appellavimus *de Hoornſche Eylanden*, id eſt, *Inſulas Hornanas*, in memoriam Vrbis patriæ *Hornæ*, & ſinum in quo ſteteramus, *de Eendrachts Bay*, id eſt *Concordiæ ſinum*, cognominem Navi noſtræ. Totum diem occupati eramus ut promontorium ſinus ſuperaremus, & anchoras tolleremus; rudens unus, acie vadi planè erat abraſus, ita ut anchora nobis fuerit elapſa; eduximus quidem anchoram miſſilem, prymneſium adhærebat ſcopulo, & frangeba-

gebatur inter torquendum, ſic perijt nobis illa anchora. 1616. Majus.

Hic ſinus ſitus eſt à parte Meridionali Inſulæ, in anfractu quodam, à latere ſitus eſt pulvinus, qui mari refugo oculis ſe exhibet, ab altero latere eſt Terra firma, ſed in littore habet ſuos ſcopulos. Cum primum hic pedem figeremus, quatuor retinaculis, quatuor anchoras demittebamus, ad ulnas decem; vado arenoſo, à terra vero diſſiti, jactum ſclopi majoris, propè flumen aquæ recentis. Tutius ad ipſum flumen poſita fuiſſet Navis, nam loco præſcripto non licebat nobis Navem vertere, ob anguſtiam. Poſt meridiem, vela ventis dabamus, primuſque curſus erat in Vulturnum, uſque in veſperam, ut mare ſpatioſum intraremus, poſtea dirigitur curſus Occidentem verſus, *Aeolo* flante ab Oriente.

Reddebamus Deo gratias, quod in commoda Inſula iſta, ſine ulla moleſtia refectionem adepti eramus, imo nobis optimè proſpectum eſſet de aqua, Porcis nonnullis, radicibus *Vbas*, & copia *Cocorum*, & *Bananarum*. locus ſtationis noſtræ, erat ſub Poli altitudine quatuordecim graduum, quinquaginta ſex minutorum.

Calendis Iunij: In prandio erat Poli elevatio tredecim graduum, quindecim minutorũ, flabat ab ortu Solis ventus, noſtrum iter dirigebatur in Septentrionem. Iunius.

Subſequentibus diebus, flabat adhuc ventus ab Oriente, iter noſtrum directum fuit in Phænicem, in Occidentem, ſed maximè in Hyperageſten, cum felici progreſſu: Die 14 altitudo erat Poli trium graduum, quadraginta quinque minutorum: Magna & hic avium multitudo, iter dirigebat Rector in Occidentem, & Lipafricum, Mare erat petulans, agitatum ab Euronoto.

Die 20 Ventus flabat Arctapeliotes, navigat Rector

1616. Iunius. in Occidentem, ſub veſperam apparuit Terra, ea nocte ſine velo ferebamur, ne in periculum incideremus ; ob terræ vicinitatem. Altitudo erat Poli, quatuor graduum, quinquaginta minutorum.

Die 21 Ventus erat ab Ortu Solis, navigamus in Terram quæ erat depreſſa, accedentes deprehendimus multa brevia, in *Caurum* ſe extendentia : erant tres aut quatuor Inſulæ, valde parvæ, arbuſculis conſitæ. Extemplo ad nos advolant *Canoæ* duæ, pari forma, qua ſupradictæ, ſed capaciores, ut quinque aut ſex viros caperent. Hæc gens forma pœné eadem quæ ſuperior; eadem etiam lingua utebatur, ſed nigrioris coloris, tegebat etiam verenda, & Arcubaliſtis utebatur in defenſionem. Hi primi erant Arcus, quos in *Mari Auſtrali* conſpeximus. Donabamus ipſis nonnulla Corallia, & clavos, ſed nobis illi monſtrabant oram Occidentalem, quæ & terra erat, à Rege eorum habitata, ibique omnium rerum eſſe copiam. Ideo navigabamus in Occidentem, cum non apparebat occaſio ſiſtendi Navem. Hæc Inſula erat diſſita a nobis in Circium, & Hypaſricum, ſub altitudine Polari quatuor graduum, quadraginta ſeptem minutorum.

Die 22 Flat ventus Eurus, navigabant in Occidentem ; & Meſargeſten : Altitudo erat Polaris quatuor graduum, quadraginta quinque minutorum. Totum diem civilem fruebamur vento felici, cæloque ſereno. Apparuere eo die duodecim aut tredecim Inſulæ, quaſi combinatæ, Lipaſricũ verſus à nobis diſſitæ, vergentes Vulturnum, & *Caurum* verſus, longitudine unius miliaris & ſemi, ſed non ſtitimus hic iter noſtrum, relinquebantur à ſiniſtris.

Die 24 Flabat Ventus à Meridie, ſub Meridiem offerebat

rebat ſe Inſula nobis,paulò poſt videbamus duas ſocias adhuc,ſed humiles,à nobis diſſitas in Africum,virentes, & luxuriantes arboribus : duæ habebant longitudinem duorum miliariorum, ſed tertia erat parva, littora erant ſcopuloſa, neque anchoris noſtris tuta iſtic erat quies: quare diximus eas *de groene Eylande*,id eſt *Inſulas virides.* 1616. Iunius.

Et montoſa Regio nobis apparuit, ſeptem aut octo collibus prominens, Meſargeſten verſus vergens. De nocte circum circa vagabamur,diem exſpectantes, quo duce, certa ſunt omnia.

Die 25 Sole orto,cum in eo occupati eramus, ut in Inſulam hanc navigaremus, ecce in Africum apparebat & alia Regio montoſa, quam judicabamus eſſe promōtorium *Novæ Guineæ*, eò curſus dirigitur, relinquentes hanc terram montoſam ab Occidente ſitam, cui nomen indidimus *Divi Iohannis*,cum eſſet feſtum Divi Iohannis. Circiter meridiem ſuperavimus montoſam hanc Terram & lambebamus littus, vento Euro flante, ſed locus non erat anchoris aptus; demittitur *Scapha* ut vadum tentaret juxta littus,relinquens nos à dextris, navigat propius ad terram,ecce duo, aut tres *Canoæ* nigri coloris hominibus inſtructæ,ad eos advolant, erant planè nudi, imo ne verenda quidem tegebant, fundis hoſtiliter noſtros petebant;ſed cum ſocij in illos exploderent ſuos ſclopos, confeſtim terga dedere. *Scapha* redit,nunciat vadum non attigiſſe,narratque ſimul hoſce homines diverſa uti lingua à ſuperioribus. Lambebamus oram maritimam,montoſam, virentem, jucundam viſu,apparebant loca, quaſi culta. Sub veſperam promontorium ſuperavimus in ſinu quodam ibique anchora jacta,ad ulnas quadraginta quinque, vado iniquó & rebelli. Ante Solis occaſum ad nos accedunt duæ

1616. Iunius. *Canoæ*, nos compellant, ſed quid dicerent non intellectum à noſtris. Totam noctem circa littus excubias agebant, & luces nocturnas accendebant. Stiteramus nos ad jactū tormenti fuſilis à littore, juxta flumē deorſum currens, De nocte cæli ſerenitas nobis placebat, & Lunæ præſentia, aura grata à terra: nonnullæ *Canoæ* accedebant propius ad nos, imo uſque ad pergulam, ut à noſtris donarentur nonnullis Corallijs, amicè excipiebantur, monſtrabaturque ut *Cocos*, *Porcos*, *Boves*, aut *Hircos* adducerent, ſi modo eorum eſſet copia, ſed illi totam noctem tranſigebant circum Navem, clamoribus, & vociferationibus, ut ſolent. erant homines agreſtes, nigri coloris, incompoſiti, nullius formæ. Hæc terra ſita erat ab oris Peruvianis, conjectura noſtra mille, octingenta, & quadraginta miliaribus.

Die 26, Octo *Canoæ* nos viſitabant, una erat onuſta undecim Viris, reliquæ habebant quatuor, quinque, ſex, aut ſeptem homines. Circumnavigabant Navim noſtram, & ſuo modo erant optimè armis inſtructi, ſcilicet Aſſagais, lapidibus, ſudibus, ligneis gladijs, & fundis. Amicè cum ijs agebamus, dono dabamus ipſis Corallia, & alia quædam vilioris pretij, indicabamus ipſis ut in terram navigarēt, & nobis adferrent Porcos, Gallinas, Cocos, & reliquos ejus generis fructus ſi qui ipſis eſſent, ſed aliud in mente ipſis erat, mox enim incepere atrociter facere, tam fundis, quam Aſſagays, animo iſto, ut nos ſuperarent, ſed nos in omnia parati, ſclopis majoribus, cum tormentis bellicis exploſis, decem, vel duodecim trucidavimus, reliqui fugam arripuerunt, relinquentes *Canoam* magnam, cum tribus minoribus, ſe aquis committentes, natando ſperabant evadere, nos *Scapham* demittimus, natantes proſequimur, aſſecuti

vita

vita privantur: nonnulli à noſtris capiuntur, valdè ſauciati ducuntur in Navem, cum quatuor *Canois*, quæ in fruſta ſecantur, foco deſtinatæ in gratiam Coci. Sauciatorum vulnera à noſtris Chirurgis miſericordia naturali commotis, reficiuntur; quidam ex vulneratis paulo poſt moritur. 1616. Iunius.

Sub Meridiem Scapha noſtra terram petijt, comitata duobus captivis, lambebat littus; Captivi vero alta voce clamabant, ſi eos redimere vellent, ut adferrent Porcos, Bannanas, & Cocos; ſtatim *Canoa* una advolat Porcellum adducens, adjuncto faſciculo *Bannanarum*. Pretium redemptionis unius captivi ſtatuuntur decem Porci, alterum vehementer ſauciatum expoſuimus in terram, quoniam ſpes exigua aderat convaleſcentiæ. Hæc Gens nares ab utraque parte foraminibus exornarat, quibus affixerant duos annulos, quodque latus annulo uno ornabatur, mirabile viſu. Apparebat nobis alia quædam Inſula, vergens in Septentrionem.

Die 27. Implevimus omnia noſtra vaſa vacua, aqua recenti: eodem die attulerunt nobis Porcum, conſpectæ & ibi nobis nonnullæ aves prorſus rubræ.

Die 28. Nonnullæ *Canoæ* nos viſitarunt, ſed vacua manu: recuſabant etiam pretio liberare captivum iſtũ; nos miſericordia moti, reſtituebamus eum littori; ipſe vero ſalvus ad ſuos fugiebat. Hi homines videbãtur nobis eſſe *Papoos*, quia omnibus erant capilli abraſi, & comedebant *Betele*, admixta calce. De nocte anchora levatur, & vela facimus vento moderato.


Die 29. Ventus erat varius, curſus in Caurum, & Meſothraciam, cœlo ſereno, ſed ante meridiem malacia erat moleſta. Veſperi ne quidem extremum Inſulæ apparebat, licet juxta littus navigaremus, quod ver-

gebat

1616. Iunius. gebat in *Corum*, & Hyperargeſten, multis ſinibus & anfractibus. Eodem etiam die occurrebant conſpectui noſtro adhuc tres Inſulæ montoſæ, quę Septentrionem verſus vergebant, diſſitæ ab hac Inſula, quinque aut ſex miliaribus. Altitudo erat Polaris trium graduum, viginti minutorum.

Die 30 Manè, cum tranquillitate maris ferebamur, multæ *Canoæ* Æthiopibus inſtructæ nos circumvolitabant, qui primo acceſſu Aſſagajas ſuas capitibus imponentes, frangebant in partes, quod ipſis erat *Pacis* ſignũ, at nihil alimenti ferebant nobis, contrà petebant quicquid offerebatur. Videbantur hi ſuperioribus præſtantiores, & honeſtiores, tegebant enim verenda folijs quibuſdam, & forma *Canoarum* erat ornatior, prora & puppis ſculptura erant inſignes. Superbiunt barbis ſuis, quas calce illinunt, ut & capillos capitis. Inſulæ iſtæ tres aut quatuor, quæ demiſerant Canoas virebant copia Cocorum, nihil nobis adferebant, licet monſtraremus *Cereris* munera nobis placere, & victum nobis deeſſe. Hærebant propè nos uſquè ad veſperam, antequam ad ſuos redirent.

Calendis Iulij, Sole orto, cùm tota nocte tranquillitate maris, at æſtu propitio navigaſſemus pœnè miliaria duo, devecti eramus intra Inſulam, longitudine duorum miliariorum, & terram firmam *Guineæ*: Poſt ientaculũ ab Inſula advolarunt viginti quinque *Canoæ*, armata manu inſtructæ, erant iſti, qui pridie Aſagaias in capitibus frangebant, & nos amicè acceperant, ſed iſto ſtratagemate ſtudebant nos decipere; ut mox prodebant, nam dum tranquillo vento & mari ferebamur, meditabantur Navem noſtram invadere. Duæ Anchoræ in prora dependebant, ſed altera erat nonnihil ſubducta


Moluccæ Inſulæ
Willem Schoutens wech
Morotay
Sabou
Ternate
Tidor
150
Motir
Makian
Baklan
Gilolo
Maba
Papoos
160
Linea Æquinoctialis
170
C. de Goede hoop
Willem Schouten Eylandt
I. Arimoa
I. Moa
I. Inſou
Nova Guinea
Trac ou chemin de Guillaume Schouten
Hooch landt
25 Eylanden
Hooge Hoeck
Cornelis Kniersz bay
Hooge Bergh
Vulcanus oft Brandende bergh
Hooch landt
Laegh landt
Claes Pietersz baij
Hooch landt
De Groene Eylanden
S. Ians Eylandt
Oby
Manipe
Loege Cambello
Zeram inſ.
Burro
Amboina
Banda
Scala Latitudinis
Caarte van Nova Guinea, nieuwlijck inden iare 1616. bezeijlt, en beſchreven door Willem Schouten van Hoorn.
Deſcription de la coſte ſeptentrionale de Nova Guinea, nouvellement decouvert par Guillaume Schouten de Hoorn
Novæ Guineæ Tabula, noviſsimé luſtratæ et conſcriptæ a Wilhelmo Schouten Hornano Batavo

L

ducta,eis inſidebant duo Viri,habentes in manibus remum (quem ſua lingua Pingay dicunt) quo *Canoas* impellunt, & agitant, cogitantes eo pacto, beneficio remorum, abducere in littus ſuum, reliqui nos circum ambulabant, Socij vero excubias agebant. Tandem qui propius aderant,ſe produnt, hoſtiliter Aſagays, & fundis nos petunt,ita ut quendam Sociorum læderent, qui primus cui vulnus ullum inflictum toto itinere: dum illi ita proditionem ſuam molirent, & triumphum ante victoriam canerent,tormenta noſtra bellica ſuperiora, & ſclopos majores exploſimus, ut iſto præludio; duodecim aut tredecim interierint,& non pauci ſauciati. Dum fugiunt reliqui, noſtri *Scapha* bene inſtructa fugientes proſequuntur, *Canoam* aſſequuntur unam, in qua tres Viri reſtabant, humi iacentem mortuum piſcibus offerebant, alij duo ſe in fugam dant, alter fugientium ſclopi majoris ictu perit, alter ubi repentinum hunc caſum ſocij videt, ſe manibus noſtrorum committit, erat is Adoleſcens natus annos octodecim, quem *Moyſen* nominabamus,in gratiam ſocij noſtri ſauciati. Hæc gens panem pinſebat,ex radicibus arborum; Nos ferebamur ſub veſperam laudabili vento, juxta littus,in *Corum*, & Hyperargeſten. 1616. Iulius.

Die 2 Notabatur Polaris altitudo, trium graduum, duodecim minutorum, eodem die à ſiniſtris apparebat humilis terræ regio,in qua Mons immenſæ magnitudinis, paulo poſt etiam Inſula ejuſdem formæ conſpiciebatur, ſed à prora: dirigit Rector curſum in *Corum*, molli progreſſu,unda quieta, flante vento *Cæcia*.

Die 3 Conſpicitur à noſtris denuo Terra alta,in Occidentem, quæ diſtabat à præcedenti quatuor miliaribus, ſub Poli altitudine duorum graduum, quadragin-

1616. Iulius. ta minutorum.

Die 4 Cum navigabatur per medias Inſulas quatuor, apparent nobis quamplurimæ Inſulæ, plus minus viginti quatuor, tam magnæ quam parvæ, altæ, & depreſſæ, quas à dextris relinquebamus, exceptis duabus aut tribus, quas à ſiniſtris aſpeximus. Erant pœnè contiguæ, diſtantia tantum erat unius miliaris, aut ſemi, nonnullæ tantum jactum unius tormenti bellici ſejunctæ; ſub altitudine Polari, duorum graduum, viginti quinque minutorum. Quærebamus ſub veſperam tutam alicubi ſtationem, ſed remora quadam tota nocte navigabamus, quia tenebræ nos oppreſſerant. Sole occidente conſpiciebatur à noſtris velum quoddam, quod videbatur ad nos contendere, ſed quia nox nos oppreſſerat, nõ acceſſit ad nos, & mane vento adverſo cogebamur illud deſerere, licet non longè à navi noſtra abfuiſſet.

Die 5, Flabat Ventus Vulturnus, ſocio comitante Euro; currit Rector navis Meſolibonotum verſus, & in Africum, Tonitrua & fulmina, & pluviæ erant moleſtæ, ſub altitudine Polari trium graduum, quinquaginta ſex minutorum.

Die 6 Aliquando Æolus iracundior nobis erat moleſtus, aliquando malacia cum pluvia, fulmine, & tonitru. Tempore pomeridiano ſeſe obtulit nobis *Mons* eximiæ magnitudinis ab Africo, currimus eo, Navarchus noſter ſuſpicabatur ſe videre *Banda*, propter ſimilitudinem maximam montis *Goemenapi* in ea inſula; eiuſq; vicinam altitudinem, ſed cum propius accederemus, offerebant ſe adhuc nonnulli alij montes ejuſdem formę, vergentes ab eo, antea dicto, in Septentrionem, ſed diſtabant inter ſe; ſex aut ſeptem miliaribus, quare doctus mutavit opinionem ſuam Tiphys noſter. Poſt mõ-

tem

rem, tam à parte orientali, apparebat terra infinita nobis aliqua alta, etiam plana: vergens Eurum verſus, quare judicabamus eſſe *novam Guineam*, & quoniam Nox irruebat ſiſtebamus curſum. 1616. Iulius.

Die 7 In Aurora, cùm totam noctem ſtudiò vento adverſo nauigaſſemus, recta prora dirigitur in Mõtem, appropinquamus, comperimus Inſulam ardentem, evomebat enim altiſſimas flammas, admixtis fumis: quare dicta à nobis *Vulcanus*, flabat Vulturnus, cælo ſereno. Erat hæc Inſula habitata, & Cocis affluebat. Incolæ nõnullis Canois nos inviſebant, ſed timide compellabant nos, ſed quid eorum oratio vellet non inteleximus, nec ipſe quidem Æthiops *Moyſes*, planè erant nudi, tantum ea quæ natura tecta voluit, tegebant, nonnulli capillos alebant, quidam abraſerant. Hic nõ licuit nobis vadum attingere, ita ut anchora non fuerit demiſſa; in Septentrionem, & *Caurum* offerebant ſe & plures Inſulæ, & Hyperageſten verſus, in planum promontoriũ currunt, quod à prora conſpectũ: & ſub veſperam ſuperatũ, tum vela omnia collecta, & totam noctem ferebamur pro libidine æſtus marini. Hic occurrebant nobis varij colores aquæ, ut viridis, albæ, croceæ, quas nos iudicabamus rivulos eſſe ex fluvijs, ſapore dulci enim vincebant aquas marinas: circum circa fluctuabant multæ arbores, folia, & rami, quibus nonnunquam inſidebant aves, & Cancri. Die 8 Ventus erat varius, Proreta nos ducebat Lipafricum verſus, & in Corum, cælo ſereno, & laudabili progreſſũ, Montoſa quædam Inſula erat à dextris, à ſiniſtris vero plana, nõ tamẽ omnino à collibus libera, quo nos properabamus, ſub veſperã acceſſimus, comperimus vadũ arenoſum laudabile, ad ulnas 70, à terra diſſitum, tormẽti majoris jactũ unum. Mox nõnullæ *Canoæ* nos ſalutãt, onuſtæ neſcio profecto qua forma hominũ,

1616. Iulius. qui *Papoos* erant, habentes crines breves, criſpos, geſtantes annulos per nares, & aures, ornati nõnullis plumis, capiti impoſitis, aut brachijs, porcorum dentibus circum colla, & in thorace, maximo ornamento. Comedebant etiam *Betele,* imo multis corporum vitijs videbantur ſubiecti, hic erat luſcus, alter laborabat craſſitie pedum, quidam brachiorum, alij alijs morbis vexabantur, hinc conijciebamus hic valetudinis, &. Medicorum eſſe inopiam: maximè quia eorum ædificia, ſtipitibus octo aut novem pedum erant impoſita. Elevatio erat Poli trium graduum, quadraginta trium minutorũ. Hoc loco incidebamus in ſpecimen quoddam Zinziberis, iſtic nati.

Die 9 Anchora ejecta, *Scapha* noſtra quærit juxta littus commodam ſtationem nobis, revertitur, narrat commodiſſimum ſinum conſpectum, quò navigat Proreta, ponitur anchora ad ulnas viginti ſex, optimo vado ſabuloſo, cui nonnihil argillæ adhærebat. Prope ſtationem noſtram erant duo *Pagi,* ex quibus Incolæ Canois quamplurimis erumpebant, adferentes *Cocos* nonnullos, ſed ipſis erant pretioſi valdè, petebant enim ulnam unam, panni lintei, pro quatuor nucibus, maximè enim appetebant lintea. Erant etiam ipſis *Porci,* quos magni faciebant, ſignificabamus quidem nos alimentis indigere, ſed illi nihilonimus nihil adferebant.

Eo die *Portio* unicuique Sociorum diſtributa eſt; ſingulis quinque libræ panis: chopina una, & ſemis olei ſingulis in hebdomadam, tantundem vini Hiſpanici uno die, cum cyatho minimo vini ſtilbatitij; omnia quæ ollis coquuntur, ut piſa, fabę, polenta, carnes, laridum, & piſces erant abſumpti. Nec nobis conſtabat certo, quo loco eramus, num longè ab Inſulis Indiæ diſtaremus,

mus,an propius adeſſemus dubitabatur. Imò nihil certi erat apud nos, num iſtud littus quod quotidie legebamus,eſſet *novæ Guineæ*,nec ne, ſed ſuſpicamur tantũ, nam omnes tabulæ,quę erant in manibus noſtris,aliam terræ ideam referebant, quam iſtam quæ nobis apparebat. Hinc nobis animus penè abjectus. Sub veſperam oritur tempeſtas,cum ſocia pluvia,fulgure, & tonitru,quæ continua tota nocte,coelo obſcuro fuit. 1616. Iulius.

Die 10 Viginti *Canoæ* nobis occurrunt, inſtructæ Viris,mulieribus & pueris,prorſus nudis,parte pudenda tantum tecta. Nihil quod alicuius pretij eſſet, adferentes.

Die 11 Sole oriente,vela facimus, navigamus Hyperargeſten verſus, & in Corum,juxta littus, terræ ut ora nobis ſemper eſſet conſpicua, nonnumquam tribus miliaribus,aliquando duobus, ſæpe uno & ſemi diſtantes ab ea: Circiter meridiem altum quoddam promontorium ſuperabamus. Hæc terra *Novæ Guineæ*, excurrit maximè Hyperageſten verſus, nonnumquam paulo in Occidentem,aliquando magis in Septentrionem.

Die 12 Navigatur ut pridie in *Corum*,juxta littora, cælo ſereno,& Sole æſtuante: In prandio,Poli erat elevatio duorum graduum, quinquaginta octo minutorũ: nonnihil hic proderat etiam maris æſtus, qui nos in Occidentem abducebat,quod & notatum nobis contigiſſe dum legeremus oram iſtam *novæ Guineæ*.

Die 13 & decimoquarto,legitur adhuc ora iſta à nobis, conſpeximus aliquando loca montoſa, nonnunquam plana.

Die 15 Nihil à curſu,& vento mutatur, coelo ſereno,poſt meridiem conſpectæ a noſtris duæ Inſulæ habitatæ, à littore diſſitæ miliare ſemi, *Cocis* abundantes.

1616. Iulius. Eo ſtatim curritur, & vadum anchoris gratum iſtic deprehenditur, ad quadraginta, triginta, viginti quinque, & viginti, imo ad ulnas ſex & quinque, at tuto anchora jacta ad ulnas tredecim: Navarchus noſter valde de nobis ſollicitus, cum *Scapha*, & lintre, armis optimè munitus, ad littus ſe deferri jubet, ut nobis de Cocis proſpiceret, quorum maxima iſtic copia erat, ſed cum littus nave appelleret, Inſulani ſe occuluerant in ſylva, ut nos ex inſidijs adorirentur, quod & factum, uno enim impetu in nos Arcubaliſtis ruebant, ut ſexdecim ſagittis ſtatim ſauciati fuerint, hic in brachio, ille in cruribus, quidam in cervice, nonnulli in manibus; nos vero non immemores officij noſtri in tali caſu, ſclopos majores, & tormenta lapidibus farcta, in cœtum eorum exploſimus, ſed illi toto exercitu in nos irruentes, ad naves nos compellebant. Eo die quo pugna hæc commiſſa, erat nobis altitudo Polaris, unius gradus, & quinquaginta ſex minutorum.

Die 16. Manè, navigatum intra duas Inſulas, anchora jacitur ad ulnas novem, ſatis tuto: ſumpto prandio *Scapha* & *Linter* in Inſulam minimam navigant, ut Cocos quærerent, humiles iſtas Æthiopum caſas duas aut tres incendebant, quod cum vidiſſent alterius Inſulæ habitatores, intentioribus vocibus clamantes, & vociferantes, non audebant propius accedere, cum à nobis tormentis bellicis majoribus ſtantes in littore, & ſylva, ſalutarentur; imo nonnunquam tela noſtra totam ſylvam pererrabant, hinc Æthiopes perculſi, non auſi fuere prodire in publicum: Circiter veſperam noſtri ad Navim redeunt, ita onuſti, ut unicuique ſocio tres *Coci* diſtribuerentur. Paulo poſt ex Inſulanis quidam ad nos excurrit Caduceator, ſecum adferens pileum, qui ſocio cuidam

in ſuperiori velitatione exciderat in mare. Hæc Gens planè eſt nuda, nec genitalia ipſa tegit. 1616. Iulius.

Die 17 Tempore matutino duæ aut tres *Canoæ*, Æthiopibus inſtructæ nos inviſunt, *Cocos* nonnullos in mare proijciunt, ut fluxu refluo, ad nos ferrentur, etiam monſtrabant ut eos caperemus, ineundæ amicitiæ gratia, tandem jubetur ut propius accederent, mox confidentius accedunt Navem, tantam copiam Cocorum, & Bananarum adferentes, quantam optaremus, quæ omnes in pergula demiſſo funiculo, ex eorum Canois ad nos mittebant, Nos pro noſtra conſueta humanitate, non ingrati, offerebamus æruginoſos clavos, cultellos, & Corallia. Adferebant nonnihil viridis Zinziberis, & radices luteas, quarum uſus eſt loco *Croci*. Mutabant etiam ſuas ſagittas, & arcus, cum ſocijs, ut ſic mutuis beneficijs ſe nobis planè devinxerint.

Die 18 Commutabant etiamnum *Bananas*, & *Cocos*, adjunctis *Kaſſavij*, & *Papede*, qui etiam in India Oriẽtali reperiuntur. Videbamus in uſu his eſſe Ollas fictiles, quas ab Hiſpanis allatas credebatur. Neque tantopere admirabantur Naves, ut Incolæ aliarum regionum, norant enim uſum tormentorũ bellicorum, & tonitru Martis. Inſula hæc dicebatur *Moa*, quæ magis vergebat in Orientem, quæ vero erat ex adverſo, *Inſou* compellabant, at extrema, montoſa; à *nova Guinea* diſtans quinque aut ſex miliaribus nominabatur ipſis *Arimoa*.

Die 19 Socij noſtri piſcatũ abibant in Inſulam maximam. Amicè excipiebantur ab Incolis, imo dum occupati erant piſcando, ſagenam animi gratia cum noſtris extrahebant; obruentes nos muneribus Cocorum. Ab Oriente affluebant multæ Canoæ, ab Inſulis in Orientem ſitis, nõnullæ erant valde amplæ, quare nos à litto-

re

1616. Iulius. re revocabamus piſcatores noſtros. Hi Æthiopes monſtrabant ut tormenta noſtra exploderemus in Canoas iſtas, ſed ſignificabatur ipſis, hoc à natura Batava alienũ, nocere inculpatis, ſi vero nos læderent, arma nobis data defenſioni, nihilominus advolant amicè, adferentes tantam abundantiam *Cocorum* & *Banannarum*, quantam deſiderabamus, ut ſocio unicuiq; quinquaginta nuces deſtribuerentur & duo faſciculi Bananarum. Hæc *Gens* alebatur *Caſſavy* panis vice, ſed cùm eo qui naſcitur in India Occidentali non eſt comparandus, pinſebant etiam forma lagani, aut placentæ.

Die 20, Summo manè vela ſolvuntur, cum mutaſſemus eodem die multa quæ eſui eſſe poſſint. Indicabant nobis ut differremus diſceſſum noſtrum, animus enim ipſis erat nobis proſpicere de alijs alimentis.

Die 21 Navigabamus juxta littus in *Corum*; In prandio nobis erat altitudo Polaris unius gradus, tredecim minutorum. Apparebant nobis nonnullæ Inſulæ, quo fluxus nos ferebat, ſuperavimus eas circiter Meridiem, anchora jacta ad ulnas tredecim. Sub veſperam pluviæ, fulgur, & tonitru, erant moleſtæ.

Die 23 Sole oriente velificatur, cælo ſereno, & vento felici, cum modicum à terra elapſi eſſemus, ſex magnæ *Kanoæ* nos ſequebantur (licet ne homo quidem in littore appáruiſſet) onuſtæ piſce arefacto, quem judicabamus Bramam ſaxatilem, nec deerant ipſis *Coci*, *Bananæ*, *Tabacum*, & nonnulli parvi fructus, ut *Pruna*. Quidam etiam Æthiopes nos accedebant ex alia quadam Inſula, adferentes commeatum aliquem, exhibebant nobis exemplum quoddam vaſorum Porcelanorum, duas enim ſcutellas mutabamus cum ipſis, ita ut nos conjiciebamus, Naves aut Chinenſium, aut Chriſtianorum

rum

Iulius.

rum oras iſtas luſtraſſe; ideoque magis, cum non adeo tenebantur deſiderio videndi Navem. Aliud genus erat hominum, fulvius colore, majus ſtatura, Nonnullis crines erāt abraſi, quidam alebant capillos, uſus erat arcuum, & ſagittarum, quas nobiſcum mutabant. Avidi erant Corallorum, & ferramentorum, geſtabant virides, luteos, & albos vitreos annulos, lobis aurium inſertos, quos ſuſpicabamur ab Hiſpanis ipſis allatos.

Die 24, Altitudo erat Polaris ſemis gradus, vento languido, iter erat in *Caurum*, in Occidentem, hinc in Africum, juxta regionem virentem, & amoenam viſu, ei nomen indebamus Navarchi noſtri æternæ memoriæ digni *Guilielmi Schoutenij*, & promontorium Occidentale, *de Caep van goede Hoop* (lingua Latina *promontorium* ſive *caput Bonæ Spei*) dicebatur.

Die 25 A ſiniſtris apparebat nobis multum terræ diſſitæ à nobis Circium verſus, aliquando montoſa, ſubinde plana.

Die 26 Rurſum ſe produnt tres Inſulæ, ora maritima adhuc vergebat in *Caurum*, & Hyperargeſten.

Die 27, Altitudo erat Poli viginti novem minutorum, à parte Auſtrali lineæ Æquinoctialis, multum terræ apparebat eo die in Auſtrum, aliqua montibus immenſis, quædam planitie grata; curſus noſter erat juxta littus in *Corum*.

Die 28, & vigeſimo nono: Cœli ſtatus erat varius, de nocte terribilis nos excitavit *Terræ Motus*, ita ut omnes ſocij terrore impulſi, e lectulis exſilirent, videbatur Carina nonnunquam illidi vado, bolis ſæpe ejicitur, ſed vadum non reperiebatur.

Die 30 Navigatur in ſinum inſignem, ita ut undique videremur terra cincti, repetebamus viam, qua ingreſſi

M eramus,

1616. Iulius. eramus, ſed non reperiebatur, niſi curſu in Septentrionem directo. Moleſta nobis eo die fuere tonitrua & fulmina, ut omnibus artubus Navis tremeret ſæpè, imo nonnumquam tota erat flammea, quod nobis non exiguum horrorem omnibus incuſſit, ſed benefica Dei manu evaſimus pericula omnia. Mox tanta ingruebat pluvia, quanta numquam antea nobis viſa fuit.

Die 31. Deprehendimus nos quaſi in ſaccum navigaſſe, videbamur continente cincti undique, ideoque iterum curſus flectitur in Septentrionem, eaque veſpera ſuperavimus ſecundo Lineam Æquinoctialem: dum nox inſtaret, etiam non longè à terra jacta eſt anchora ad ulnas duodecim vado tuto, ad teli jactum ab Inſula, quæ proximè adhærebat terræ firmæ, ſed Incolæ nulli apparebant, omnia erant quieta hiſce locis.

Auguſtus. Calendis Auguſti, levabatur anchora, magno labore, affixa enim erat ſcopulo, anchoræ media manus relinquitur in fundo. Altitudo erat quindecim minutorum, à parte Septentrionali lineæ. Sub veſperam acti æſtu maris vehementi juxta littus, ponitur anchora ob tranquillitatem, vadum erat inæquale, neque altum.

Die 2. Tranquillitas adhuc moleſta erat, quare nos fluxu ferebamur in Occidentem, & Meſargeſſen, cælo pluvioſo. Die 3. Curſus ut pridie, cum malacia: poſt prandiũ repertus eſt Pulvinus, longè diſſitus à terra, ita ut conſpici vix eminus poſſet, nonnullis locis habebat altitudinem ulnarum quadraginta aliquando viginti, nonnunquam quindecim, ſæpe duodecim, vado arenoſo. Ad ulnas duodecim anchora iacitur, quod nox inſtaret. Navarchus etiam avidus erat videre quo æſtus maris vergeret, didicit poſtea Lipafricum verſus tendere. Eodem die altitudo Polaris fuit quadraginta quinque minutorum à parte Septentrionali Lineæ Æquinoctialis

ctialis. Apparuere etiam nobis *Balenæ*, & *Teſtudines.* 1616. Auguſtus.
Conijciebamus ex altitudine Polari jam dimenſa, nos reliquiſſe ipſam *Novam Guineam*, cum navigata eſſent à nobis ducenta octoginta miliaria, juxta regionem hanc. Occurrebant id temporis adhuc duæ Inſulæ, in Occidentem à nobis diſiunctæ.

Die 4. Ventus erat varius, curſus in Circium, pluvia nobis erat inimica, & cœlum tenebroſum. Æſtum hic notabat Navarchus noſter ſedulus, vehementer ferrim Occidente; conſpiciebatq; eo die ſeptem aut octo Inſulas ſuo judicio, quare remora velis injecta, curſus de nocte mutatus, nè terræ illideretur *Carina.*

Die 5 Malacia vexabat nos, nec Æolus ſatisfaciebat nobis, ibatur in Meridiem, & Vulturnum, cœlo pluvioſo, & quieto: cum vero ventus nobis erat adverſus, curritur in littus; quod pridie judicaramus Inſulas fuiſſe, cum appropinquamus, vadum non deprehenditur, quare *Scapha* noſtra demittitur ut tentaremus, quod tentatum ad ulnas quadraginta quinque, propè terram. Cum *Scapha* noſtra in littus navigat, ecce, primum duæ, hinc tres Canoæ conſpiciuntur à littore adcurrere, & *Scaphæ* noſtræ occurrere, quam cum acceſſiſſent, pacis ſignum extulerunt, & noſtri lubentes exceperunt: ſimulque cum Incolis ad nos navigarant. Adferebant tantum ſpecimen quoddam fabarũ, & leguminum, maximè aliquid Oryzæ, Tabaci, & duas aves Paradiſi, quarũ unam nos commutabamus, colore albo & croceo. Hæc gens a nobis intelligebatur, nonnulla enim verba proferebant lingua *Ternatana*, quidam ex ijs utebatur lingua *Maleia*, cujus non erat ignarus noſter celeuſtes Liburnicæ, *Andreas Nicolaides*, Vtebantur etiam verbis aliquibus Hiſpanis, quidam ex ijs tegebatur pileo Hiſpanico. Veſtitus eorum non erat ignobilis circum mediũ cor-

1616. Auguſtus. poris, quibuſdam erat uſus Braccarum, varij coloris, aliqui *Tiara* caput tegebant, queis Turcas relligione eſſe docebant. Digiti quorundam aureis, & argenteis annullis erant ornati. Crines nigerrimi eorum omnium capita ornabant. Mutabant merces ſuas Co[illegible]lijs, ſed maluiſſent pannis lineis, & videbantur nos maximè timere, cum eſſent meticuloſi. Quærebamus nomē Inſulæ, quam inhabitabant, ſed nolebant aperire noſtris, quare conjectura, & ex alijs circumſtātijs judicabamus, & fides adhibebatur, nos ſuperaſſe partem Orientalem Inſulæ *Gilolo*, ſcilicet medium ramum (Hæc enim Inſula *Gilolo* tribus ramis ſe extendit in Orientem) Hos vero eſſe, vel fuiſſe Incolas inſulæ *Tidor*, amicos Hiſpanorū, ut & poſtea comperimus. Hinc non exiguum gaudium cœpit nos omnes, ſuperatis & devoratis tantis moleſtijs & tædijs, deveniſſe ad ea loca, de quibus certi eramus, & ſub quo cælo verſaremur, brevique eventurum ut *Populares* noſtros videremus. O Rem profecto toties exoptatam, & deſideratam. Ventus paulo concitatior ſtitit nos propè terram, & jacta anchora eſt, ad jactum tormenti majoris à littore, ad ulnas quadraginta; mox nobis adferunt Cocos, variaque fructuum genera. Significabant nobis, iſtic tutam navibus ſtationem non eſſe, ut & verum erat, nam ſub veſperam Æolus iracundior, vim anchoræ vicit & riſit. Sole cadente omnes Canoæ domos ſuas repetebant, promittentes poſtridiè ſe pullos gallinaceos allaturas. Eo die nos tertium ſub Linea Æquinoctiali navigabamus.

Die 6 Summo manè ſtant promiſsis Incolæ, & nos inviſunt, adferentes nonnihil *Tabaci*, & vaſa nonnulla *Porcelana*, & id generis alia: ſed cum nobis faveret Æolus à Vulturno, & ſedes non eſſet tuta, anchora jubetur

tolli

tolli, ut iter noſtrum dirigeretur in *Moluccas*, quod & fit, ibatur mox in Septentrionem, felici progreſſu, ut promontorium tendens in Arctapelioten Inſulæ *Gilolo*, à parte Septentrionali ſuperaretur. 1616. Auguſtus.

Die 7 Pluvia violentior moleſta fuit, poſt prandium ſe nobis obtulit hujus Inſulæ promontorium Septentrionale, dictum *Moratay*, diſſitum à nobis ab Africo.

Die 8, Sumpto prandio, Poli erat elevatio quatuor graduum, trium minutorum, à noſtra parte Lineæ: De nocte nos affligebat pluvia, conjuncta cum tonitru, & fulgure. Perſuadebamus nobis hic æſtum maris ferri in Septentrionem.

Die 9 & decimo, Venti varij, cælo pluvioſo. Erat elevatio Poli, die decimo, trium graduum, quinquaginta minutorum.

Die 11, Mane rurſum ſe oculis noſtris obtulit Inſula *Gilolo*; ſed ea parte qua promontorium ſpectat Arctapelioten verſus. Dabatur opera omnibus viribus ut ſuperaretur, ſed æſtus Maris nos abducebat à terra in Septentrionem, ita ur noſter labor fuerit eo die irritus.

Die 12, & decimo tertio, Elevatio erat Poli duorum graduum, quinquaginta octo minutorum, venti varij, comitibus pluvijs, ut & decimo quarto, quinto & ſexto.

Die 17 Continuis laboribus id præſtitum eſt, ut terram contingeremus, idque ſub veſperam, ferebamur juxta littus, cælo ſereno: conſpiciebantur de nocte à noſtris quamplurimi ignes in littore.

Die 18, Cælo ſudo navigabatur juxta littus: Circiter Meridiem duæ Canoæ nos adoriuntur, ſigna *Pacis* præſeferentes à pago dicto ipſis *Soppy*, erãt *Ternatenſes*, ut nos cum ijs, lingua communi ageremus, nonnulli erant ex *Gammacanor*, qui nobis referebãt Liburnicam

1616. Auguſtus. Amſterodamenſem, *Pavonem* adnavigaſſe hæc ſua loca; ibique hæſiſſe menſes tres, ut ſibi proſpiceret de Oryza: etiam ante menſem unum aut alterum Anglorum navem appuliſſe has oras. Quanto nobis fuerit Euangelio & quam gaviſi ſumus, cum certi eſſemus nos ea loca deveniſſe, quæ *Populares* noſtri peragrarant, poſt tot caſus varios, poſt tanta rerum pericula, octoginta quinque Viris bene valētibus, nec prandij, nec cœnæ horam ullam eſſe: quod Cereris munera omnia abſumpta, judicent illi, quos par caſus afflixit. Erat hic altitudo Polaris duorum graduum, quadraginta ſeptem minutorum anchora iacitur ad ulnas viginti octo. Nonnulli ex Incolis pernoctabant apud nos, ut poſtridie nos ducerent in ſtationem tutam, ante *Soppy*.

Die 19, Navigatur in ſinum, demittitur anchora ad ulnas decem vado ſabuloſo ad tormenti majoris jactum à littore. Eodem die mutabamus nonnihil *Sagou*, aliquos pullos gallinaceos, duas aut tres teſtudines, aliquid Oryzæ.

Die 20, Mutabatur multum *Sagou*, parum Oryzæ; nos offerebamus pannos linteos, Corallia, Cultellos, Specula, & pectines. Dum hic hæremus, *Correcor Regis Ternati* accurrit, ut nomine ejus ſibi compararet Oryzam, & *Sagou*. Narrat & illud circum circa Inſulam ſuam tam Batavorum, quam Anglorum naves viginti diſcurrere, octo etiam navigare in *Manillas*, quatuor ſocietatis noſtræ Indicæ & quatuor Britannorum. Piſcium hic copia.

Die vigeſimo primo, ſecundo, tertio, & quarto, occupati eramus mutandis *Sagou*, & Oryza, menſura parva.

Die 23, Socij noſtri navales poſtremum hauſtum Vini, adhuc ſuperſtitis ſumpſerunt.

Die

Die 25, Sub veſperam, anchora levatur, comparavimus nobis hic quatuor vaſa Oryzæ, & copiam *Sagou*. 1616.

Hiſce ſubſequentibus diebus, uſque in quintum Septembris, ventis adverſis, & varijs eſt navigatum; cum malacia, nonnunquam turbo ingruebat, qui mixtus erat pluvia, ita ut maximis laboribus, & ineffabili penuria, has oras oberraremus, ſæpe curſus noſtros mutando, aliquando bis terve uno die anchoram jaciendo, iterum hinc velificando: ſed ſpe maxima perveniendi brevi in Ternati, apud chariſſimos noſtros *Populares*, devorabamus omnia tædia, & labores itineris huius laborioſiſsimi. September

Die 5, Cum anchora jacta eſſet in oris *Gilolo*, ſocij piſcatum abibant, dum vero occupati erant Verriculo, quatuor Ternatenſes è ſylva exſiliunt, armati gladijs & clypeis, ut noſtros adorirentur, & interficerent; ſed forte fortuna hoc videns Chirurgus, alta voce exclamat *Oran Hollanda* (id eſt *Gens Hollandiæ*) quod cum exaudirent, mutarunt propoſitum ſuum, accedentes ſignificabant ſe judicaſſe nos eſſe *Caſtilianos*, noſtri eos ad navem adducunt, quos magnis muneribus affecimus, donantes nonnullis Corallijs, quare promiſerunt omnia nobis adferre quæ neceſſaria erant: Narrabant ſe veniſſe ex *Gammacanor*, à quo nos diſtabamus eorum judicio, quinque aut ſex miliaribus.

Die 6 & Septimo, Vexabat nos malacia; cum vento adverſo, ſæpe vela fecimus anchoris levatis, varijs curſibus ibatur, ut abſolveretur iter hoc moleſtum, ſed incaſſum omnis labor, ita ut parum aut nihil proficeretur.

Die 8, Vetus adverſus nos detinuit & Archiceleuſtes noſter,

1616. September noſter, cum *Celeuſte* Liburnicæ, *Scapha* armata navigat in *Gammacanor*, eo fine, ut ſibi de alimentis proſpiceret. Regio à *Soppy*, uſque ad *Gammacanor* vergit ab Africo, in Arctapelioten, multis ſinibus, & anfractibus, Æſtus maris vergit hic in Septentrionem.

Die 9, & decimo, contrarius ventus nos invitos detinebat, ut & die undecimo, tum ad nos revertitur *Scapha*, ſed ab itinere in *Gammacanor* deſtiterat, cum nimis longe abeſſet, & cibus deeſſet, ſed appulerant pagum *Loloda*, diſſitum à nobis decem miliaribus, ubi nacti fuerant aliquas *Bananas*, quæ magna copia eo loci. Incolæ narrarant ipſis, Batavos cum Ternatanis invaſiſſe Inſulam, dictam *Siauw*, ſitam ea via, qua itur in *Manillas* & tredecim naves eſſe in *Ternati.*

Die 12 Navarchus noſter, & Andreas Nicolai, comitati octodecim viris bene armatis in Ternati navigant, à qua Inſula nos aberamus, ut conjiciebamus viginti quinque miliaria; nos vero ventus adverſus ſtitit eodem loco.

Die 13, Idem erat cæli ſtatus cum vero noſtri piſcatum iverant, tres Agricolæ advolant, tres Apros adferentes, non immenſæ magnitudinis, quos canibus ſe venatos dicebant, ſed pretium honeſtum à nobis adepti ſunt.

Die 14, Poſt prandium navigabamus, vento moderato, ſed iterum moleſta fuit tranquillitas aëris, ita ut ſpatio viginti horarum & quatuor duo tantum miliaria, & ſemi, navigata fuerint, idque magno labore.

Die 15, Cæpit ventus invaleſcere, ita ut currentes totum diem civilem quatuor miliaria ſuperaremus, cœlo ſereno.

Die 16 Acceſsimus *Gammacanor*, & gaudio magno vide-

videbamus *Ternati* & *Tidor* conjunctas, ad duos altos montes, vergentes à nobis in Meridiem, pænè duodecim miliaria. 1616. September

Die 17, Ventus nonnihil fervebat, ita ut conaremur ſuperare Ternati, ſummo manè in Aurora ipſa apparebat Velum, quod nobis præibat in Ternati, erat Navis Rotterodamenſis, dicta *Lucifer*, ferens onera centum & quinquaginta, & inſtructa viginti ſex tormentis cochlearibus, quæ noſtrates *Lepelſtucken* dicunt. Circiter horam prandij redit *Scapha* noſtra, ab hac navi, in qua noſtri triduum hæſerant, cum deprehendiſſent eam fortè in ſinu *Sabou*, Architalaſſus *Verhaghen* in ea erat, una ex navibus Præfecti maris *Speilbergij*, ex cujus ſocijs intelligebamus, cum eſſent in *Freto Magellanico* (quod ſuperarant duobus menſibus) Liburnicam minimam ſe conjeciſſe in fugam; etiam quod in Oris *Braſiliæ*, in flumine dicto Spirito Santo tres ſcaphulę ſocijs onuſtræ ei perierant, addebant & illud eum Vrbem *Payta* vaſtaſſe, etiam pugnam navalem commiſiſſe, cum octo Hiſpanorum navibus, quarum tres (maximè Architalasſi, & Vicarij ipſius) ita coſtas tormentis ſuis majoribus tranſadegit, ut omnes ſimili fato Neptunio perierint; ipſum vero indemnem evaſiſſe, ſocijs tantum nonnullis amiſſis, at victoribus nihil præmij reſtitiſſe: *Limam* ſubijſſe, multoſque ſinus viſitatos, in quibus ſtabant Hiſpanæ naves, ſed ſubductæ, in uno quodam ſinu deprehenſas naves quadraginta, at nihil actum; juxta oras *novæ Hiſpaniæ*, per *Manillas*, *Indiam Orientalem* eum appuliſſe, inde in patriam remiſſum, comite Navarcho *Iohanne Cornelij* Menſch-eter, id eſt *Antropophago*, & quatuor navibus, dictis *Amſterodamum*, *Inſigne urbis Amſterodami*, *Zelandia*, & *Middelburgum*. Referebant

 etiam

1616. September etiam nobis, decem optimo milite inſtructas naves in *Manillas* navigaſſe, quibus præerat *Iohannes Rodrigo Lam*, Hornanus, ut claſſem Hiſpanicam in Ternati euntem adoriretur, & ſi fieri poſſet perderet. Intelleximus etiam ab illis, *Petrum Bot*, quatuor navibus in patriam redeuntem, tribus navibus naufragium paſſum eſſe, ad Inſulam *Mauritij*, turbineque venti in rupes adactum, ut ſocij navales quamplurimi perierint, comite *Archithalaſſo* ſuo, una tantum navi ſuperſtite. Sub veſperam anchora poſita ante *Malei*, in Ternati, ad ulnas undecim, vado arenoſo, gaudentes, Deoque gratias agentes, eo nos deveniſſe, ut noſtræ nationis homines convenire liceret.

Navarchus noſter, & Celeuſtes ſtatim in Inſulam properant, ut convenirent Dictatorem *Laurentium Reael*, qui ſucceſſerat defuncto Dictatori *Gerhartio Reynſtio*, à quo humaniſsime excipiebantur, præſentibus Architalaſſo *Stephano Verhagen*, & Gubernatore *Amboinæ*, *Caſparo Iohannide*: totoque Senatu Indiæ.

Die 18 Archiceleuſtes noſter, & Navarchus terram conſcendunt, ibique vendunt duas Scaphas noſtras, quatuor tormenta bellica minora Liburnicæ, nonnihil plumbi, etiam duos rudentes maximos, novem anchoras, & nonnulla alia, quæ nautis uſui eſſe poſſint, pro ijs pendentes, mille trecenta, & quinquaginta numiſmata Regalia, quæ noſtra lingua **Realen van achten** dicuntur.

Die 19 vigeſimo, vigeſimo primo, ſecundo, & tertoi, hic hæſimus, ut nos cum popularibus noſtris reficeremus.

Die 24, Vndecim viri navales, & quatuor Adoleſcentes, petebant à Navarcho noſtro *Guilielmo Schou-*

tenio, ut poſſint ſuis muneribus exſolvi, mens enim eorum erat adhuc in India hærere, & ſe adjungere ſocietati Indicæ, quod ſtatim ipſis conceſsit, præſertim cum petijſſent ab ipſo Præfecto navis, per Dictatorem *Reael.* 1616. September

Die 26, Diſceſſimus à Dictatore *Laurentio Realio*, Amſterodamenſi, qui nos pro humanitate Batava, blandiſsimè tractarat, & quamplurimus beneficijs affecerat; deducebant Navarchum noſtrum, & Celeuſten ſignis militaribus expanſis ad Navem, paulo poſt anchoram ſuſtulimus, comite Navi una *Lucifero*, quæ vigeſimo ſecundo die ſe nobis junxerat, & in *Motir* properabat, at nos in *Bantam.* Præfectum navis dictæ, & famulum Dictatoris recepimus juſſu ipſius in Navim noſtram, ut nobiſcum irent in *Bantam*, cui lubentes paruimus, ut petitioni ipſius, & beneficijs ſatisfaceremus.

Die 27 ſuperavimus *Tidor*, & *Lucifer* Navis à nobis iter deflexit ſuum in *Motir.*

Die 28, Superabamus *Motir*, & *Makian*, & *Kaiou*, cum *Bakiam*, eo die quartò navigabamus ſub linea Æquinoctiali.

Die 2 Octobris, tranſibamus *Loga Combella*, & *Manippa* in *zeira*, tertio die conſpectum fuit *Burro.* October.

Die 8 Superavimus auguſtias *Bugarones*, intra promontorium auſtrale *Celebes* & *Deſolaſo.*

Die 13, Circiter veſperam, apparuit nobis Inſula *Madura*, at die 14, ſummo manè *Iava*, & ſuperavimus ante occaſum Solis *Tuban.*

Die 16, Circiter meridiem appulit navis *Iaparam*, ipſam ſtationem navium tutam, ibique deprehendimus navem *Hollandiam*, quo Amſterodamo navigarat, hærentem eò loci, ut ſibi proſpiceret de Oryza. In hac Inſula

1616. October. ſula omnium commeatuum eſt copia, omniaque edulia vili hic pretio venduntur atque in Ternate deferunt. Nos etiam hic nobis comparavimus Oryzam, *Arack*, Carnes, & piſces, aliaque alimenta, in iter, quod ſtatueramus abſolvere, neceſſaria.

Die 23, Deſeruimus iſtam regionem, & 28 die acceſſimus *Iacatram*, anchora jacta erat extra Inſulas, ibique deprehendimus, tres naves Hollandas, una dicta erat *Horna*, altera *Aquila*, tertia *Concordia*, cum tribus *Anglorum* navibus. Subſequenti nocte quis ſociorum è domicilio hoc terreſtri, nigrabat ad cælu, cum omnium ſociorum luctu. Hic primus erat omnium qui fatis ceſſerat, ex eorum numero qui ſe commiſerant magnæ Navi Concordiæ, ex toto cætu noſtro adhuc duo occubuerant. *Iohannes Schoutenius*, frater germanus navarchi noſtri, in Mari Auſtrali, propè Canum Inſulam, alter juxta oras Portugalliæ, hi ſe commiſerant Liburnicæ, ut tres tantum moleſtiſsimo hoc itinere ex ex duabus navibus, mertui fuerint hoc tempore. Reliqui octoginta quatuor numero, benefica manu Dei, incolumes ſervati ſunt, licet nonnulli languebant.

Die 31 Appulit *Iacatram*, navis dicta Bantam, quæ vexerat Præſidem ſedem habentem in Bantam, munitum autoritate iſta, à Præfectis Indicæ Societatis: dictus *Iohannes Petri Koenen*, Hornanus erat.

November Calendis Novembris, Præſes *Iohannes Koenen* accerſi jubet Navarchum noſtrum *Guilielmum Schoutenium*, cum omnibus Præfectis, & Mercatoribus Navis noſtræ, cumque acceſſiſſent, aperuit ipſis, præſente toto Senatu Indico, quid ſibi, ſuiſque commiſſum à Præfectis Societatis Indiæ Orientalis, ſcilicet, ut detineret Navem, & omnia quæ adferret, ideoque lubens pareret ejuſ-

ejuſque in manus traderet quæcunque eſſent: Cujus petitioni multis rationibus reſtitit Navarchus noſter, docens ſe, ſuoſque injuria maxima affici: tandem vi coactus, Præſidis mandato paruit: ſed hoc addebat, ſe mandatum ſibi onus exequi, & ſi noſtris videretur, rem non ſuccedere ex ſententia, negotium totum tranſigerent in Hollandia, atque ita Navim noſtram, cum omnibus mercibus detinuit. Mox conſtituuntur à Præſide duo Navarchi, ut omnia ordine fierent, quibus Navis cum omni ſupellectile deſcripta traderetur; ad Merces vero, duo Mercatores, quibus à Navarcho, & Archiceleuſte commentarius mercium traditur. 1616. November

Hæc acciderunt die Lunæ, Calendis Novembris, ſecundum computationem noſtram, ſed ſecundum Popularium noſtrorum calculum, evenere hæc die Martis, ſecundo die menſis. Cauſa tantæ differentiæ in tempopore, hæc erat. Cum à Regione noſtra navigaremus in Occidentem, & ſemel cum Sole totum orbem terrarum circumambulaveramus, una nox, aut Solis occaſus unus, reſtabat nobis; qui vero ab Occidente in Orientem navigaſſent, ijs ſupereſſet unus dies, aut Solis occaſus unus; ita differrent illi totum diem civilem; cumque computationem noſtram temporis tunc intermitteremus, eamq; adſciſcebamus, quæ apud populares noſtros erat, jacturam fecimus diei *Martis* iſtius hebdomadis, tranſiliendo à die Lunæ, in diem *Mercurij*, eratq; nobis hebdomas ſex dierum.

Cum ita exſoluti eramus navi noſtra, nonnulli ex ſocijs noſtris, operam ſuam locabant Confœderatæ Societati Indiæ Orientalis, reliqui ſe committebant duabus navibus in Patriam navigātibus, ſcilicet, navi dictæ *Amſterodamum*, & alteri *Zelandia*, cui præerat *Georgius*

1616. November *gius Speilbergen*: Navarchus noſter *Guilielmus Schoutenius*, & *Iacobus le Maire*, cum decem ſocijs noſtris, & prædictus Præſes, ſe committebant Navi Amſterodamo, cui nauclerus erat *Iohannes Cornelij May*, dictus *Antropophagus*; *Andreas Nicolai*, & Rector *Nicolaus Petri*, cum decem alijs ſocijs noſtris, ſe committebant navi Zelandiæ, cui nauclerus erat *Cornelius Riemlandt*, Middelburgenſis. December Deſeruerunt que omnes urbem Bantam, decimo quarto die Decembris.

Die 31 Mortem obibat Archiceleuſtes noſter *Iacobus le Maire*.

1617. Ianuarius, Calendis Ianuarij, navis dicta Zelandia, elapſa eſt à conſpectu noſtro.

Die 24 Apulimus Inſulam *Mauritium*, in qua nos refecimus ſocios omnes, reliquimus eam, trigeſimo menſis die.

Martius. Die 6, Martij, legebamus Promontorium *Bonæ ſpei*, quantum conjectura licuit aſſequi noſtra, quia in conſp ectum noſtrum non veniebat.

Die 31, Appulimus Inſulam Divæ *Helenæ*, ubi incidimus in navem elapſam nobis, dictam Zelandia, quæ nos anteverterat nonnullos dies.

Aprilis. Die 6 Aprilis, poſt refectionem amplam, & aquarum recentium copiam cum hauſiſſemus, ambabus Navibus recta itur in Patriã, at decimo quarto huius menſis die, à nobis conſpicitur Inſula dicta, *Aſcenſion*.

Die 23, Conſpiciebantur à noſtris duæ naves, curſum noſtrum ſuperantes, ſub altitudine Polari unius gradus, à parte Meridionali Lineæ Æquinoctialis, cumque eas aſſequi nõ valeremus, recto itinere in Patriã ibatur.

Die 24, Sole orto, quintò navigabamus ſub Linea Æquinoctiali, die vero vigeſimo octavo, conſpectus eſt à no-

à nobis Polus Arcticus, quem viginti menſium ſpatio non videramus.

Calendis Iulij, Appulimus in Zeelandiam, navi dicta Amſterodamum, cum pridie Navis dicta Zelandia appuliſſet. Abſolvimus itaque hoc moleſtiſsimum & periculoſiſsimum iter, ductu & Auſpice ſummi Numinis, ſpatio duorum annorum, diebus octodecim additis. Iulius.

Illi Deo ſit laus & gloria in ſecula.

F I N I S

Tabella, in gratiam eorum, qui tractus pyxidis Nauticæ ignorant.

Numerus interior ventorum tractus, exterior horas diei & noctis deſignat.



Hic numerus tractus in pyxide deſignat & referri debet ad numerum interiorem.

1. Noorden / Septentrio.
2. Noorden ten Ooſten/ Hyperboreas,
3. Noord-noordooſt/ Aquilo vel Boreas.
4. Noordooſt ten noorden/ Meſoboreas.
5. Noordooſt / Arctapeliotes,
6. Noordooſt ten ooſten/ Hypercæcias.
7. Ooſtnoordooſt/ Cæcias.
8. Ooſt ten Noorden / Meſocæcias.
9. Ooſt/ Subſolanus,
10. Ooſt ten zuyden/ Hypereurus.
11. Ooſt zuydooſt/ Eurus.
12. Zuydooſt ten ooſten / Meſeures.
13. Zuydooſt/ Vulturnus.
14. Zuydooſt ten zuyden/ Hypereuronotus.
15. Zuydzuydooſt / Euronotus.
16. Zuyden ten ooſten / Meſeuronotus.
17. Zuyden/ Auſter, Notus,
18. Zuyden ten weſten/ Meſolibonotus.
19. Zuydzuydweſt/Circius vel Libonotus & Auſtroafricus
20. Zuydweſt ten zuyden/ Hyperlibonotus.
21. Zuydweſt/ Africus.
22. Zuydweſt ten weſten/ Notozephyrus, & Meſolips.
23. Weſtzuydweſt/ Lips.
24. Weſt ten zuyden/ Hyperlips.
25. Weſt/ Zephyrus, Favonius .
26. Weſt ten noorden / Meſargeſtes.
27. Weſt noordweſt/ Argeſtes, vel Corus.
28. Noordweſt ten weſten/ Hypergeaſtus .
29. Noordweſt/ Caurus.
30. Noordweſt ten noorden/Meſo traſcias.
31. Noordnoordweſt / Phœnix.
32. Noorden ten weſten/ Hypercircius.

F I N I S.

14038

F619
S376n

№ 14038